DE

# DIALECTICA

# SANCTI JOANNIS DAMASCENI.

DE

# DIALECTICA

# SANCTI JOANNIS DAMASCENI

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM MONTISPESSULANI

J. GRATIEN RENOUX.

---

AVENIONE,

TYPIS FRANCISCI SEGUIN, VIA BOUQUERIE, 13.

1863

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

DEC -5 1931

2142

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/dedialecticasanc00reno

DOCTISSIMO

C. FORTOUL, PRESBYTERO

IN GYMNASIO PARISIENSI (LES CARMES)

MODERATORI

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM

GRATITUDINIS TESTIFICANDÆ CAUSA

D. D. D.

J. GRATIEN RENOUX.

# PROOEMIUM.

Quinque hujusce disputationis quæstiones erunt: Prima, de S. Joannis Damasceni vita et scriptis; secunda, de ejus dialectica; tertia, de significatione quam vocibus in frequentiore usu philosophorum positis B. Doctor subjecit. Inquiretur deinde quibus judiciis innitatur ad firmas rationes informandas, vel in quorum argumentorum consuetudine versetur; ac demum ejusdem methodus logica spectabitur.

BQ
1569
B4

DE

# DIALECTICA

# SANCTI JOANNIS DAMASCENI.

---

## CAPUT PRIMUM.

CONSPECTUS VITÆ SANCTI JOANNIS DAMASCENI, ET EJUS PRÆCIPUORUM QUÆ EXSTANT OPERUM.

Clarorum scriptorum pauci sunt qui tantam vita et moribus quantam S. Joannes Damascenus ab historicis et a variis auctoribus injuriam acceperint : alii quidem, alterum pro altero confundentes, illi varias personas affixerunt; alii autem diversa de ejus moribus commenta, imo secum adversantia contexuere (1); verum doctissimi viri, inter quos prima obtinent P. Lequien qui opera Sancti Doctoris summa cura atque diligentia edidit, et Leo Allatius, homo eximiæ et pene immanis eruditionis, contortæ historiæ jura restituentes, qualem sese habuerit Damascenus, qua ætate vixerit, quibus demum fuerit virtutibus ornatus, feliciter exposuerunt. Non mihi in animo est criticorum altercationes huc inducere : lis enim certantium jam judicata est; sed cum ejus vitæ genus describere deceat, cujus doctrinam suscipimus evolvendam, juvat in unum colligere tum quæ de Beati Doctoris persona et moribus P. Lequien aut Leo Allatius censorii calami acie ad liquidum perduxerunt, tum quæ de ejusdem historia scripsere vetustissimi auctores.

(1) Bayle, *Dictionnaire histor. et critiq. N. A et B.* — Leo Allatius, Prolegom. operib. Dam. præfixa, ex opere ejusdem Leonis non edito, « De libris apocryphis », inscripto.

Joannem Damascenum Damasci (1), in urbe Syria, natum fuisse, et ibidem fuisse baptizatum certo scimus (2); quo tamen anno natus sit neque apud alios comperi, neque e scriptis ejus suspicari possum; illud prorsus incertum esse, quod vel conjectura nullus assequi possit, affirmat P. Lequien. Idem tamen auctor autumat Damascenum circa exitum seculi septimi ortum esse (3); nam Leo Isauricus, imperator ex anno 727 sacris imaginibus bellum indixit, quod e Theophanis testimonio constat (4); atqui Joannes Hierosolymitanus, auctor vitæ Sancti Doctoris, narrat eum tunc temporis jam scriptis contra hæreticos contendere, atque etiam publica negotia apud Saracenos administrare (5); neque iis fungi potuit priusquam ætas firmata virum fecisset; imo verisimile videtur eumdem monasticæ vitæ nomen dedisse, atque in clerum Hierosolymitanum accensitum fuisse, sub primis temporibus Leonis Isaurici (6). Parentem habuit e nobili familia, moribusque christianis ornata (7); ejusdem progenitores, viri religiosi, « pietatis florem et Chris-

(1) Vita S. Damasc. a Joanne Patriar. Hierosolymitano conscript. et operib. Damasc. præfixa, §. II, p. 2. — Constantini Acropolitæ Logothetæ Sermo in S. Joann. Damasc., interprete J. F. de Rubeis, apud Bollandist. sexta Maii, T. 2, p. 733. — Cfr. præclara testimonia e variis auct. excerpta.

(2) Vita S. Damasc., §. VII. p. v. — Leo Allat., Proleg., §. VII.

(3) Not. 1, in Vita Dam., p. v.

(4) Theoph., ad ann. 10 Leonis Isaurici., p. 338., ed. 1655.

(5) Vita Damasc., §. XIII et XIV, p. IX.

(6) Not. 5 in Vita Dam., p. IX. — quæ tamen mera conjectura est.

(7) Existimat P. Lequien S. Damasceni patrem fuisse Sergium illum τὸν τοῦ Μαρσοὺν Mansuri, cujus Theophanes meminit ad annum 6 Justiniani Rhinotmeti. Hic vir fuit χριστιανικώτατος, γενικὸς λογοθέτης, καὶ λίαν ᾠκειωμένος τῷ αὐτῷ Ἀβιμήλεχ, Christianæ scilicet relligionis amantissimus quæstor generalis et Abdolmeleco Chalifæ amantissimus. Not. 1, in Vita Dam., p. III.

tianæ scientiæ odorem in medio spinarum servaverunt(1). » Hi quidem, postquam Mahumetani urbem Damascum occupavere, a nefanda eorum secta sese avertentes et fidei christianæ, quam profitebantur, inconcussis animis adhærentes, illam domi labefactari haud passi sunt(2); quorum virtus ita omnium oculis effulsit, ut Saracenorum etiam principes rebus publicis eos præfecerint. Ipse Joannis pater, christianæ relligionis amantissimus, summo honore fuit apud Chalifam habitus, etiamque ab illo præcelsa dignitate donatus(3). Hunc referunt, cum prudentem et idoneum magistrum, qui mentem filii institueret, curiose investigaret, in quemdam monachum, nomine Cosmam, ex Italia oriundum, et in captivitatem ab Arabibus adductum, forte incidisse : quem scilicet cum Barbari in urbem adduxissent (4), cum ejus conservis, et hi acerbas fortunæ vices infelicitatemque suam dolentes, ipsum orarent, ut Deum sibi precaretur, qui peccatis indulgeret, circumstantes rem stupentibus oculis intuentes, Cosmam interrogabant, qua dignitate quove honore apud Christianos præcelleret ; ille vero respondit, se nulla quidem seculari, sacerdotali vero duntaxat dignitate fuisse amplificatum ; cæterum monachum inutilem esse, qui Philosophiæ operam dedisset, non solum quæ amando Deo vacat, verum et illi quæ externos sapientes habet auctores. His dictis, oculos lacrymis opplevit.

Verum haud longe pater Joannis constiterat, qui, monachi

(1) Vita S. Damasc., §. V, p. III.

(2) Constant. Acrop. Sermo in S. Damasc., p. 734. — Vita S. Damasc., §. V, p. III. — Ex Menologio, die 4ª octob. — Ex Ms. Synaxario Basilii imperatoris, ad diem XXIX nov. — Leo Allat., Prolegom. (adv. Volateranum), p XXIX et seq.

(3) Vita S. Damasc. §. VI, p. IV.

(4) Hoc forte contigit, ait P. Lequien, circ. ann. 690, quo Arabes, Africa subacta, mediterraneum mare infestarunt. N. 2, in Vit. Dam., p 5.

miseratus sortem iniquam, accessit, et illi solatia afferebat: « Ecquid tandem causa est, homo Dei, inquit, cur tu mundi « jacturam fleas, cui jampridem nuntium remiseris, atque, « ut ex hac veste conjicio, jamdudum mortuus sis? » Tum vero Monachus: « Jacturam hujus vitæ nequaquam lugeo; ego « siquidem, ut modo aiebas, mortuus sum mundo. Hoc solum « moleste fero quod omnem sapientiam humanam frustra sim « persecutus, substructo eis veluti fundamento illo circulo, « quem vocant scientiarum. Rhetorica linguam exercui; dia- « lecticis præceptis demonstrationibusque rationem excolui; « quidquid ad scientiam morum pertinet, seu a Stagirite, seu « ab Aristonis filio traditum sit, id accurate pervestigavi (1); « rerum naturam universam, quantum homini pervium est, « inspexi; Arithmeticæ rationes didici; Geometriam ad amus- « sim teneo; Musices concentus proportionesque satis probe « sum assecutus; ad cœli motum et conversionem siderum « quæcunque attinent, non prætermisi..... Inde ad arcana « Theologiæ progressus sum, tam illius quam Græci seu Gen- « tiles tradidere, quam ejus quæ a nostris theologis certis- « sima ratione est explicata. His ergo scientiis plenus, utilita- « tem quæ inde percipitur, nondum cuiquam impertivi, neque « per philosophiam filium parenti similem procreavi... Insuper « hoc bonitatis proprium est, ut quisquis bonis abundat, ea

(1) Vita S. Damasc.... *τοῦτο δέ με ἀνιᾷ, ὅτι πᾶσαν μετῄειν ανθρωπίνην σοφίαν, καὶ τὴν εγκύκλιον προϋπεθίμην ὥσπερ θεμελιον· τῇ ῥητορικῇ τὴν γλῶσσαν ἐξήσκημαι. Ταῖς διαλεκτικαῖς μεθόδοις καὶ ἀποδείξεσι τον λόγον πεπαίδευμαι· τὴν ἠθηκὴν μετῄειν ὅσην ὃ Σταγειρίτης καὶ ὅσην ὁ τοῦ Αρίστωνος παραδέδωκε.....* §. VIII, p. v.

Ne quis miretur cur monachus ex Italia ortus, græcarum disciplinarum peritissimum se præbeat, advertendum est Siciliam, partemque inferiorem regionis italicæ, diu Byzantinorum imperatorum in potestate fuisse, quin tunc temporis adhuc illorum imperio subesse.

« quoque aliis elargiatur... Quando vero compos non fui, ut « inter fideles servos, qui accepta talenta apud alios committendo conduplicarunt, censerer, neque per philosophiam so« bolem ullam peperi, sed, ut ita loquor, sine liberis « vado, idcirco misellus ego vultum, ut vides, lacrymis per« fundo, gravique tristitia dejicior (1). »

Quibus auditis, Joannis nostri parens, ocyus Saracenorum principem adiit, rogans ut captivus manumitteretur, eique familiariter domi secum vivendi licentiam daret (2). Cui postulationi cum annuisset princeps, munificentissimo Cosmam excepit hospitio, eique liberos instituendos tradidit, Joannem scilicet, ipsius filium naturalem, et alium, nomine Cosmam, quem Hierosolymis oriundum, et parentibus orbatum, in filium judicio et voluntate adscripserat. Præceptor quidem munus cujus studiosissimum sese præstiterat impigre exsecutus est, et alumnos optimis præceptis efformavit: illi autem adeo in studiis progressi sunt, ut brevi tempore Grammaticam et Dialecticam edocti, mox disciplinæ morum se dederint, atque etiam Arithmeticæ, Geometriæ, et Astronomiæ proportionum periti evaserint; imo et in harmonicis sonorum modulationibus eruditi sunt (3). Qua elaborationis et diligentiæ cura his variis artibus arripiendis incubuerit Joannes, et quantam inde perceperit utilitatem, eximia quæ postea exaravit opera satis declarant (4).

(1) Vita S. Damasc., §. IX, p. VI et VII.

(2) Narrant historici Maviam (Moawiah) qui gentis Ommiadæ princeps et caput fuit, Damasci regiam statuisse, extincto Ali (661) quocum de imperio æmulatus erat. Huic deinceps successere Jesid, 683. — Moawiah II, 684. — Mervan I, 685. — Abdel-Malek, 705. — Walid I, 715. — Soliman, 717. — Omar II, 720. — Jesid II, 724. — Hescham, 742. Conjicit P. Lequien principem, de quo loquitur Joannes Hierosolymitanus, Abdel-Malek, aut ejus filium Walid, esse.

(3) Vita S. Damasc., §. XI, p. VII. — Constant. Acropol. Sermo in S. Joan. Dam., p. 738 et seq.

(4) Vita S. Damasc., §. XII, p. VIII.

Verum maxime ad Theologiæ studium inclinabat, et omnes ejus partes penitus hausit; attamen antequam hujus sacræ scientiæ penetralia introspiceret, primo aditu vestibuloque constitit, humanæ sapientiæ operam daturus, cujus ope ad illam superne delapsam accederet. Ergo nullius ingenuæ artis elementa Damasceno nostro defuerunt, et e multa eruditione, plurimis exercitationibus, et omnium prope rerum scientia effloruit ejus ingenium et exuberavit, quale decet philosophum, qui non solum de vita et moribus, rebusque bonis et malis quærere, sed etiam divinarum humanarumque scientiarum, tum initiorum causarumque cujusque rei cognitionem debet assequi. Cosmas autem munus suum sustinuit, donec discipulus magistrum æmulatus, præceptoris operam quasi inutilem fecit; tunc ille monasterium Sancti Sabæ in Palæstinam petens, ibi ad mortem usque habitavit (1) : quo etiam discessit Damascenus, postquam amplissimis honoribus, et maximis divitiis quæ, patris elato funere, illi obtigerant, valedixit.

Πρωτοσύμβουλος seu præses consiliorum creatus fuerat a principe Saracenorum; quo summo munere eum auxisse *Chalifam* Hescham conjectura auguror: quippe qui decem et octo annis (724-742) regno potitus, in Christianos benigna voluntate propensum interdum sese præstitit (2) ; haud enim verisimile mihi videtur tum Jesidum II, tum Walidum II, quorum unus quidem Hescham principatu præcessit, alius autem excepit, ambo vero relligionis christianæ oppugnatores, Damascenum nostrum a teneris assuetum Christi delubris pie colendis ad honores provexisse. Ut ut sit, « ille, dimissis omnibus, Ma-« thæum apostolum et evangelistam æmulatus, Christum secu-

(1) Vit. S. Damasc., §. XXII, p. XIV. « Abit ad Magni Sabæ monasterium.... (Lauras plerique solent istius modi loca nominare). » Const. Acr., p. 747.

(2) Fleury, l. 41, § XIII. — L. 42, §. XXVIII.

« tus est, majores divitias arbitratus thesauro omni Arabum op-
« probrium Christi, et elegit potius affligi cum plebe Dei quam
« temporalem habere jucunditatem (1). » Sed, cum abeundi licentiam negaret princeps, rursus Joannes efflagitabat, ut dignitatem, qua decoratus fuerat, abdicare sibi permitteretur: qua tandem ei facta potestate, Cœnobium Sancti Sabæ, ut modo diximus, petiit, monasticæ vitæ nomen daturus (2). Hic

(1) Ex Synodi septimæ generalis (Niceæ) actione sexta.

(2) Narrat Joannes Hierosolymitanus Damascenum in monasterium abiisse, postquam a B. Virgine insigne munus accepisset. Iratus scilicet Leo Isauricus, quod epistolas ad plebem Constantinopolitanam misisset, quibus sacrarum imaginum cultum acriter defenderet, eum in mortis discrimen adducere statuit. Accitis igitur quibusdam notariis suis, epistolarum Joannis exemplar ad imitandum ipsis proposuit, in hoc nimirum ut et scripturæ notas, et ipsius sententias ac verba effingere conarentur; deinde jussit eos Epistolam, tanquam ex Joannis persona ad ipsummet imperatorem scriptam exarare, cujus hæc sententia esset: « Salve, imperator....
« Tibi significo urbem hanc nostram (Damascum) negligenter om-
« nino custodiri... quare per Deum obtestor, ut hujus civitatis
« miseratione afficiaris; atque ingenti et strenua manu præter om-
« nem exspectationem missa... urbem sine ullo labore obtinebis. »
Hac epistola conscripta, imperator, ex eadem animi perversitate, alteram ad Saracenorum principem epistolam confecit, in qua Damasceni proditionem aperiret, et suam voluntatem amicitiæ fœderis conservandi confirmaret, atque ambæ litteræ ad Saracenum principem missæ fuerunt. Hic autem, acceptis litteris, ira incensus, Joannem accersivit, ipsique dextram amputari jussit. Tradit historicus Damascenum, dextra excisa, ante imaginem quæ B. Virginis effigiem gerebat, provolutum, hanc obsecrasse, ut manum sanitati restitueret; peracta autem oratione obdormivisse, ac per somnum dextram recuperasse.....

Hanc putidam fabulam appellant Cave, *Hist. littér. des Aut. Eccl.* et Casim. Oudin., Comment. de Script. Eccl., *Art.* J. Damascenus; cæteri vero scriptores nihil repugnant, si mirabilis illa narratio alio nomine vocetur. — Cfr. Constant. Acropol. in sua S. Da-

referunt, cum pio sodalitio adscriptus esset, ad ductum tristis cujusdam senis sese applicuisse, qui vitæ religiosæ institutis, virtutumque piis exercitationibus eum informaret: atque inter alia hunc moderatorem illi præcepisse ne inanis gloriæ ventoso curru raperetur, e contra de se demisse sentiens, infimam ingenii fiduciam penitus infixam haberet; tum ad nullos scriberet epistolam, neque externarum disciplinarum aliquid eloqueretur; denique silentium servaret, exemplo Christianorum philosophorum monitus, imo et Pythagoræ Simii qui discipulis silentium multis annis colendum præscriberet, quo sapientiæ placita efficacius combiberent (1).

Habuit moderator a quo benevole semper audiretur : cujus enim ore nutuque pendens, inde cepit Joannes optima bene vivendi documenta, totusque se contulit ad officia virtutum; imo et pericula sustinuit quibus rigidus ille magister ipsius constantiam experiebatur. Descriptum est a Joanne Hierosolymitano qua fide, qua comitate, qua linguæ parcimonia, qua demum obsequenti docilitate sese monachum gesserit (2); jam tum eximiæ sanctitatis et candidissimæ modestiæ moribus exemplum præbuit; ad hæc elati sensus, nobile veritatis studium, mens in agendo generosa, ingeniumque eminentissimum, neque uni professioni natum; uno verbo, dotes omnes quibus philosophi suum sapientem exornant, has in Damasceno conspirare dixerim.

Ad studia litterarum non gloria incensus est, neque libros composuit laudum amore compulsus; sed quia observantissi-

masceni laudatione, p. 743. — Baronium, Annal. Eccl., ad ann. Chris. 728. — Maimbourg, *Histoire des hérésies des Iconoclastes*, T. 1er, liv. II, p. 162 et 163. Hic califam Hisiam suspicatur a Leonis subdolo deceptum fuisse, juxta Elmancin, Hist. Saracen., l. I, c. 17. — Roderic, *Hist. Arab.*, c. 12. — Bayle, *Dict. hist. et crit.*

(1) Vita S. Damasc., §. XXIV, p. xv.

(2) Id., §. XXV, et seq.

mum se præstaret eorum qui vel auctoritatis jure præerant, vel amicitiæ vinculis ipsi conjungebantur, ideo tantum stylo manum admovit ut illorum precibus indulgeret (1).

Itaque cum senex, sapientia præditus, ejus virtutem perspectam habuisset, illi concessit, imo præscripsit ut litteris operam daret (2). Tunc Damascenus ingenii totos sinus pandit: primum divino quodam spiritu inflatus, de Sanctorum virtutibus, vel de Ecclesiæ festis solemnibus dulcissima carmina cecinit (3); præterea dicitur sacras conciones edidisse; sed tunc temporis ad opus immortale perficiendum mentis vires applicuit, quod eam famam illi peperit, quam nulla consequentium annorum series imminuit. Joannes Hierosolymitanus, qui vitam ejus enarravit, admiratione affectus, hunc librum nomine « *Fons* « *Scientiæ* » inscriptum, cœlo sideribus ornato assimilat, quasi B. Doctor tot lumina in tenebris quæstionum discutiendis prætulerit, tot radios emiserit ex ingenii flamma, ut veritatem suo splendore convestiret, quot sidera cœlo emicant (4). Cosmas, episcopus Majumensis auctor fuit (5), ut Joannes opus illud præclarissimum effingeret; neque ante annum 743 editum fuit, quo episcopali munere decoratus est Cosmas ille, qui nostro æqualis, tum ejusdem institutionis, tum quoque ejusdem sodalitii in cœnobio S. Sabæ fuerat particeps (6).

B. Doctor pro sacris imaginibus tuendis acriter contendit,

(1) Vita S. Damasc., §. XXV, XXVI, XXVII et seq. — Constant. Acropol. Sermo in S. Damasc., p. 747 et seq.

(2) Id., §. XXXII.

(3) Fabricius, Biblioth. Græc., T. IX, p. 682, citat. a D. Migne in sua editione operum Damasc., p. xiv. — Cfr. Constant. Acrop., p. 756. — Multas ex his cantionibus hucusque oblivione obrutas scrutatus est nostris temporibus cardinal. Maï, atque in lucem edidit.

(4) Vita S. Damasc., §. XXX.

(5) Epist. nuncup. operi præfixa.

(6) P. Lequien, N. 2, in Vita Dam., p. xiv.

cum Leo Isauricus, neque verbis, neque factis temperans, eas ubique proscindi juberet (721-730)(1); verum aliis hæresibus, quæ tum grassabantur, haud pepercit; in Manichæos, Jacobitas, Saracenosque vehementer invectus est, illorumque insanias argumentorum acumine confixit.

Joannem Damascenum fuisse presbyterum e variis et locupletissimis testimoniis constat(2); Cas. Oudin anno 740 sacerdotio initiatum esse perperam existimat(3), cum presbyter constitutus sit a Joanne Hierosolymitano, qui diem supremum obiit anno 735(4). Suspicatur P. Lequien in clerum Hierosolymitanum, Doctórem nostrum accitum fuisse, priusquam Leo Isauricus odio sacras imagines persecutus sit. Suscepto presbyteratu, Damascenus exinde Hierosolymæ habitavit, ubi, tum Joannem Patriarcham quocum amicitia conjunctissimus fuit, tum hujus successorem consilio et opera juvit; siquidem ferunt hunc et illum in eam mentem impulisse ut Iconoclastarum irritos impetus facerent; imo, si qui contumaciores sese agerent, iis anathema pronuntiarent(5). Præterea ad populum diebus festis concionabatur(6): de rebus divinis, vel ad mores spectantibus facunde et juxta mentem Scripturarum, unde multiplices excerpserat, sensus disserebat; attamen ejus orationes in asiatico genere, quod scilicet non tam frequentatum sententiis,

(1) Lequien, Not. 5, in vita Dam., p. IX et X.

(2) Vita S. Damasc., §. XXIV. — P. Lequien. Not. 1 in Vita Dam., p. XXI. — Leo Allat. Prolegom., §. XIII. — Cfr. præclara testimon. operib. præfixa. Anastas. Bibliothec. et Cedrenus in Compend. historiarum....

(3) Comment. de Script. Eccles.; Joannes Damasc. sub initio.

(4) P. Lequien, Not. 1 in Vit. Dam., p. XXI, ex testimonio Theophanis.

(5) Id., Not. 5, p. IX, sub medio, et Not. 1, p. XXI, sub medio.

(6) Complures ejus supersunt homiliæ; eas sane habuit ad populum corona circumfusum; quippe qui presbyteratus gradu auctus esset.

quam verborum flumine et periodorum ambitu effusum est, sunt laudabiles(1).

Denique ætate et laboribus confectum in monasterio S. Sabæ animam efflasse, ibique sepultum esse proditum est(2); sed quo anno obierit, omnino ignoramus; plane tantum id nobis compertum est, Damascenum ævum quidem produxisse ultra pseudosynodum a Constantino Copronymo indictum (754), cum ipse postea istam synodum, illiusque duces scriptis vehementer oppugnarit; ante septimum vero Concilium œcumenicum vita functum esse (787), quippe cujus acta et acclamationes illius exitum insinuant : quo temporis intervallo decessisse videtur. Deinde corpus ejus Constantinopolim delatum est ubi quarto decimo seculo asservatum esse testatur Georgius Pachymeres(3). Cognominatus est Chrysorrhoas(4), sive propter auream verborum gratiam, aut nitidum innocentiæ decus, sive ob flumen Chrysorrhoam, quo Damascus civitas ejus patria alluitur : dictus fuit insuper Mansur; utrum a familia, an Leonis Imperatoris injuria, incertum est. Conjicit L. Allatius(5) Joannem nostrum Mansurem vocatum esse, a patre quem honorifica ista voce donatum fuisse a civibus verisimile opinatur, tum eamdem a Leone, mutatis paucis litteris, corruptam, in infamem appellationem degenerasse, quæ per ludibrium sanctarum imaginum strenuo propugnatori affingeretur. Quidquid id est, ille apud recentiores vulgo Joannes Da-

(1) Dom Ceillier, *Bibliothèque Ecclésiastique*, *VIII^e^ siècle*. — *Œuvres de St. Jean Damasc.*, in parte extrem.

(2) P. Lequien, N. 2 in Vit. Dam., p. XXII. — Ex locupletissimo teste, Joanne Phoca scilicet qui duodecimo seculo vitam degebat, sub initio.

(3) Id., Not. 2 in Vit. Dam., in extr. parte, p. XXIII.

(4) Theoph. ad ann. 19 Leonis Isaurici. — Cfr. Anastasius Bibliothec., (ex præcl. testim.).

(5) Prolegom., §. XI, p. XXXIII et seq.

mascenus nominatur, et sub hoc vocabulo circumfertur(1).

Clarissimus Doctor græce sua scripsit opera; et ideo nomen ejus auctorum græcorum indici adscribendum est; quanquam, dum ingenio doctrinaque florebat, Mahumetani Syriam et Palæstinam jam ferro invaserant, gens immanis, quæ, ut ad dominationem, sic ad superstitionem Mahumetis propagandam gladiis utebatur. Primis vero temporibus, populorum, quos subegerant, instituta, et vernaculas consuetudines neque obruere funditus, neque immutare valuerunt; imo quædam remansit libertas de divinis disputandi, et relligionem a Christo conditam ab hæreticorum contumeliis tuendi; testis est Damascenus noster qui dissidentium sectarum, cum urgeret necessitas, mendaces sententias haud semel libere oppugnavit. Mox vero tantum odii et invidiæ susceperunt Christiani, ut decretum sit eos qui scriptis adversus Mahumetanos contenderent, capite damnari; atque etiam paulo post, quicunque a Mahumetis superstitione aversantes, Christianam fidem profitebantur, mortis discrimen adibant(2).

Ad summam, Damascenus, multiplici dono commendatus, optimisque præceptis institutus, nunc canoros poeseos et musicæ modos adhibens Dei sanctorumque virorum piis cantibus laudes celebrat; modo disertus concionator sacra mysteria ampla quadam et splendida verborum copia interpretatur; jam expertus theologus supremum numen attingit, et suas ipsi dotes astruit atque perfectiones, aut cætera dogmata explicat, probationibus quidem e ratione desumptis præferens auctoritatem Scripturarum, aptissima vero prudentique methodo omnia contexens; primus enim theologiam universam recto ordine comprehendit, et Magistro Sententiarum ac S. Thomæ viam complanavit ad sacram doctrinam tam præclara methodo tractan-

(1) Fleury, *Hist. Eccl.*, *liv.* 42, §. *XVIII.*

(2) P. Lequien, N. 2 in Vit. Dam., p. xx, sub medio.

dam(1) ; denique sagax et solers philosophus arcana rerum scrutatur; neque tantum partibus theologicis, verum etiam mere philosophicis attendit, his et illis discutiendis haud impar, utpote acerrimo ingenio præditus, necnon admirabilem eruditionem operosa animi contentione consecutus. Non eo quidem de philosophia scripsit, quod hanc solam affectans, ejus finibus se continere vellet ; sed in hanc disciplinam incubuit, ut, cum de scientiæ fonte disserere animo destinasset, nihil eorum quæ ad illam spectant intactum relinquere videretur, tum placitis humanæ sapientiæ prænotis, dogmata theologica commodius aperiret, validiusque propugnaret. Neque nullo emolumento ad hujus modi studium se contulit Damascenus, siquidem apud posteros plurimum auctoritate valuit, famamque tulit eximii philosophi(2).

(1) Natalis Alexander et Bellarminus, apud Casim. Oudin, de Scriptor. Eccles. Cæterum eadem de Damasceni theologicis operibus efferunt omnes auctores.

(2) Cave, *Hist. Litt.*

Tels sont les détails que j'ai pu recueillir sur la vie de Saint Jean Damascène. Ils sont incomplets, sans doute. « Mais les détails manquent sur la situation des chrétiens soumis à la puissance musulmane : les historiens de l'islamisme n'en disent rien, par suite de leur orgueilleux mépris pour tous les non-croyants, et les sources chrétiennes de l'Histoire d'Orient, pour le VII[e] siècle, sont tout à fait insuffisantes !..... La disparition du Christianisme du sein de l'Arabie, quoiqu'on n'en puisse préciser l'époque, fut complète. Dans les pays conquis, les destinées des chrétiens furent très-diverses : sur certains points, on les dépouilla même de leurs églises ; on n'en laissa subsister que sept à Damas ; et la défense d'en bâtir de nouvelles ainsi que de nouveaux monastères faisait espérer aux vainqueurs qu'avec le temps l'extinction de l'Évangile suivrait la chute de ses temples. De tous les chrétiens, les moins opprimés étaient les Nestoriens en Perse, et les Jacobites en Égypte. » (Dœllinger, *Origines du Christianisme, trad., II[e] vol., p.* 290, 291, 292.)

Hoc habet peculiare egregius Doctor, quod, cum ad scripta SS. Patrum diu combibisset, et si quid præstantissimum extulerint divina illa ingenia delibasset, amplissimam et saluberrimam doctrinam ex his fontibus hauserit, quam exquisita arte comparavit, et in unum collegit; ita ut locupletissimus sit testis quorum capitum Christiani Orientis fidem unanimi consensu professi fuerint, antequam luctuoso schismate ab ecclesia Christi sese abrumpentes, Sedis Apostolicæ auctoritatem abnuissent, tum etiam doctrinarum quas ecclesiæ Doctores, ibidem olim versantes, philosophice, rationi et evidentiæ insistentes, excogitaverint. Quæ Damascenus naturali disciplina, et seclusa revelationis ope, disputavit, hic tantum describam; Dialecticæ autem B. Doctoris, ut hæc studia terminis definiam, impensiorem operam dabo, inquirens quas regulas argumentandi ipse commendarit, qua demum ratione iisdem usus sit.

Etsi, ut pro certo habet P. Lequien(1), multa interiere opera Damasceni, voraci temporum edacitate absumpta, aut saltem in imis bibliothecarum recessibus latent, tamen quæ exstant, ipsi nitidum decus comparavere, et cuique ea diligenter evolventi perutilia documenta afferunt; quorum me juvat, antequam propositum argumentum aggrediar, compendiosum indicem exarare.

Inter cæteros facile priores partes habet liber nomine inscriptus, Πηγὴ Γνώσεως, seu Fons Scientiæ, opus cum multitudine ac prope quæstionum infinita varietate, tum cujusque rei ponderoso judicio præstantissimum; in quo omnia quæ ad scientiam pertinent ordinate componuntur. Tribus constat partibus, his scilicet nominibus inscriptis: 1° *Dialectica*, 2° *De Hæresibus*, 3° *Fides Orthodoxa*. Quæ quidem partitio rerum diversitati, quas in uno tamen Damascenus congessit libro, rite respondet; neque vero tituli cuique parti affixi, neque divisio ipsa

(1) Præfat., §. XV.

ab auctore excogitata sunt; is enim hoc solo universali nomine, « *Fons Scientiæ,* » librum inscripserat (1). Ejusdem voluminis hoc fuit fatum, ut, cum prius librarii de illius genuino titulo parum curassent, et hunc decursu temporum omnino neglexissent, recentiores editores opus ipsum membratim discerpentes, sic frusta unum ab alio separaverint, ut singula deinceps, non solum ab unico proposito alienissima, verum etiam suis numeris absoluta opera habita sint; quin et sæpe accidit, ut rectus ordo rerum inverteretur, et pars altera alterius, ut cuique placeret, sedem usurparet (2). Leo Allatius librariorum incuriam suspicatus est, in codice quodam Bibliothecæ Vaticanæ legendo: « Ex libro Joannis Damasceni, cujus nomen est, Fons cogni- « tionis. » Mox clarissimus criticus explorate agnovit S. Doctorem eximium tractatum quem et ipse illa unica inscriptione signaverat, excussisse, et una præfinitoque ordine complexum esse omnia quæ deinde fuerunt inconsiderate distracta. Idem testimonia idoneorum auctorum, ad fulciendam opinionem, protulit (3); ea reperire licet in ejus prolegomenis; et hic tantum, ne jam notis observationibus nimium indulgere videar, Damascenum nostrum appellabo, cujus verba omnem dubitationem tollunt; vix enim operam exorsus, sic mentem aperit: « Nobis itaque propositum est de Philosophia tractare, atque « omnis generis scientiam quantum licebit, hoc volumine com- « plecti; quod idcirco scientiæ fontem jure sit appellan- « dum (4). » Insuper ipse rerum seriem operisque distributionem præfinivit in sua nuncupatoria ad Cosmam Majumæ

(1) Leo Allatius, Prolegom., §. XX.

(2) Leo Allatius, Prolegom., §. XX. Sic in editione a Billio comparata, præcedit fides orthodoxa, tum dialectica subnectitur, hæreseum tandem synopsis ad calcem truditur.

(3) Constant. Acrop., Sermo in S. Joan. Dam., p. 756.

(4) Cap. 11, pars dialect., seu prima pars operis inscripti: « Fons Scientiæ. »

episcopum epistola : « Primum itaque eorum, qui apud Gen-
« tiles sapientiæ laude insignes fuerunt, optima quæque edis-
« seram..... Quidquid vero pravum, falsique nominis scientiæ
« conjunctum erit, rejiciam. Præterea insensarum Deo hære-
« sum nænias contexam, quo falsitate cognita magis veritati
« adhæreamus ; atque ita demum veritatem erroris interemptri-
« cem, eliminatricemque mendacii, afflatorum divinitus pro-
« phetarum, nec non eruditorum a Deo piscatorum divino-
« rumque quoque pastorum et doctorum sermonibus veluti
« fimbris aureis exornatam... explicabo (1). »

Haud dissentit P. Lequien in præfatione Dialecticæ B. Doctoris præposita ; miratur enim « quid causæ fuerit cur summi « illi viri, qui Joannis Damasceni operibus multiplici prælo « edendis præfuerunt seriem hanc inverterint, connexosque ab « ipsomet tractatus distraxerint. » Sed vir eruditissimus (licet mihi ipse diffidens dico) prædictum opus quali forma auctor ipse descripsit edere non satis relligioni duxit. Damascenum enim constat opus unum sibi proposuisse texendum, haud absimile ab illis theologicis summis quas scriptores medii ævi celeberrimi immortali gloria perfecere, et in quibus universæ scientiæ partes in unum colligantur (2) ; ideo omnibus quæ ad cognitionem spectarent eadem methodo inter se connexis, opus totum uno quoque titulo, id est *Fons Scientiæ*, inscripserat. Atqui P. Lequien, meo

(1) Epist. nuncup. operi præf., in part. extrema.

(2) « L'entreprise de l'évêque de Saragosse (Tayon, VII[e] siècle) « fut renouvelée quelque temps après, au sein de l'Église grecque, « par Saint Jean de Damas ; il divisa sa Somme en quatre livres (l'auteur ne fait entrer dans la Somme de Saint Jean que les quatre livres de la foi orthodoxe, selon l'usage reçu) ; dans le pre- « mier, il traite de Dieu et de ses attributs ; dans le second, de la « création et des créatures..... Ainsi préludait cet esprit de coordi- « nation et d'ensemble qui s'élèvera un jour à son apogée avec Saint « Thomas d'Aquin. » (Maret, *Théodicée chrétienne*, 3[e] *leçon*, *p.* 58, 2[e] *edit.*)

quidem judicio, hujus partes plus æquo aliam ab alia segregavit; ita ut earum cognatio, et totius operis propositum, cuique legenti vix appareant; nam præfationis suæ ad Dialecticam (maluissem unicam et communem universo tractatui præfationem, quam singulis partibus peculiarem fuisse præpositam) initium ducit ab his verbis: « Dialecticam B. Joannis Damasceni damus « primo loco, tum deinde tractatum de Hæresibus, ac postea « librum de Fide Orthodoxa. » Præterea non est sermo nisi de tripartito, vel de triplici opere, imo et de tribus lucubrationibus; quæ si semel aut bis efferantur, nempe ad divisiones operis describendas, profecto non habent in quo reprehendantur; non ita vero si plus quam satis est occurrant, quia tunc tria volumina reipsa existere innuant (1).

Cæterum Damascenus tam absolutam partitionem non instituit; primum quidem locum ibidem collocandæ parti attribuit, tum suum quemque aliis succedentibus: rerum scilicet seriem et continuationem indicavit, ut modo advertimus, more cæterorum scriptorum qui, antequam ad evolvendam argumenti propositi materiam ingrediantur, quid et quomodo sint tractaturi præsignificant; neque vero uni aut alteri, quasi ex aliis evulsa seorsum spectanda esset, nominatim consulit; sed contra nonnisi singulari numero opus suum in prooemio denuntiat: « Age, « quis hujus lucubrationis finis sit, ante declaremus, quo fa- « cile percipiantur, quæ subinde dicemus. Nobis itaque propo- « situm est de philosophia tractare, atque omnis generis scien- « tiam, quantum licebit, hoc volumine complecti, quod id- « circo scientiæ fontem jure sit appellandum (2). »

Animadvertas insuper velim Damascenum partes in capita divisisse, ea ratione, ut philosophica a theologicis ejusdem numeri continuatione colligantur; adeo ut uno tum philoso-

(1) Ad Dialecticam S. J. Damasceni Præfatio, p. 1.

(2) Caput 11, (Pars dialect.).

phica, tum theologica, sive potius tractatus hic, in quo de philosophicis et theologicis agitur, numero concludatur(1). Hæc compositio capitum a clarissimo editore observata non fuit; quippe qui, licet iisdem partitionibus librum quemque (ut ita dicam) divisit, in alio tamen alium capitum rursus explevit numerum.

Deinde, cum opus ipsum vero titulo inscribi, et hunc non modo in fronte libri, sed etiam in capite singularum partitionum obsignari oporteret, ea parum curavit P. Lequien quæ tamen a scriptoribus vulgo servari solent: præmissa enim præfatione ad Dialecticam, hunc præcipuum titulum legentis oculis subjecit: « *S. Joannis Damasceni opera philosophica et theologica. Fons Scientiæ.* » Hæc vero posteriora verba litteris nimium exiguis excussa sunt; insuper eadem, cum præfationi ad Dialecticam succedant, atque etiam illis prioribus quorum characteres efferuntur grandiores, periculum subest ne lectorem prætereant; quin in hoc uno loco inscripta cernuntur; nec, mirum! sive in fronte paginarum, sive in præcipuarum partitionum capite rursus legere datur. Itaque nisi attento oculo ea primum corripueris, totum opus manu versabis, veri ac genuini tituli inscius, quo inscribitur. Hoc interdum augescit periculum, quod cujusque libri titulus insignibus litteris eminet, et oculis intuentis statim incurrit; inde verendum est ne lectori facile decepto, vera quidem operis significatio omnino impervia jaceat, alii autem indices singulis partibus recentius affixi, ipsi fucum facientes, genuini esse videantur.

Præterea hoc etiam editori nostro vitio vertendum est: Damascenus scilicet opus suum exorsus principia quædam interpretatus est, quæ fundamenta disputationis instituerent, et quid sit id de quo agatur, lectori perspicuum facerent. Primum igitur de Cognitione, tum de Philosophia disseruit ubi

(1) Leo Allatius, Prolegom., §. XXI, p. XXXVIII.

multa explanantur, quæ non tantum ad Dialecticam, sed etiam ad alias partes spectant, imo et toti operi, tanquam fores ædibus, ab auctore apposita sunt; ea tamen P. Lequien infra titulum, *Dialectica,* in summa paginarum margine inscriptum, supposuit, parum sollicitus de B. Doctoris voluntate in rerum distributione observanda; qui partes omnes operis in unum strinxit, ut jam notatum est, et totam commentationem ab illis scientiæ primordiis duxit; idcirco eadem Dialecticæ proœmium non haberi decebat, sed toti operi præponenda erant. Mihi quidem persuasissimum est virum acutissimum Damasceni propositi neque inscium neque immēmorem fuisse, cum scriptis ejus rursus edendis manum admoveret; sed videor posse contendere hac excusatione usum esse, dum veterum editorum vestigiis interdum insisteret, se nolle nova inauditaque rerum distributione mentem lectoris perturbare; illum ita sensisse, ex iis conjicio quæ ipse in præfationem ad *Fidem Orthodoxam* prætexuit: hanc scilicet causam effinxit cur divisionem hujus libri quadripartitam a latinis recentius excogitatam servaverit, « ne novitate nimia lectorem distributioni illi assuetum per« celleret. »

Optima sane mente se gessit P. Lequien; etsi vero ejus ratio in partibus operis distribuendis prima specie prudens esse videatur, et magis favere lectori, ut quæ pristinam consuetudinem editorum recentiori conciliet, tamen in varias incurrit reprehensiones: illa enim partitio concisioque operis nativum auctoris consilium, quod sanctum est! oblitterat, tum impedit quin opus ipsum sua sub luce inspiciatur, cum partes ejus disjunctæ separatim spectentur, neque ad eumdem finem tendere videantur; vox demum qua liber nuncupatur, in ejus fronte vix cernitur; inde factum est ut ea hominibus eruditis, et in doctrina SS. Patrum non hospitibus sæpe exciderit: omnes enim fere auctores, ii saltem quibus operam dedi, toties sen-

sus varios e scriptis B. Doctoris excerpunt, ut ejus assensu et scientiæ auctoritate nitantur, non libro « *Fons Scientiæ* » inscripto, sed dialecticæ, aut fidei orthodoxæ tractatibus adjudicant. Hoc vero quantum mirum est quod periti homines artis criticæ, quorum est exacta et scrupulosa, minimumque vero distantia de auctorum ingenio eorumque operibus judicia proferre, male et perperam S. Joannis Damasceni scripta recensent; siquidem, dum B. Doctori inter alia opera librum de Dialectica, tum de Hæresibus, vel tandem de Fide orthodoxa tractatum tribuunt, nullam mentionem faciunt de volumine dicto: Fons Scientiæ(1).

Cæterum fatendum est P. Lequien opus suum summa cura atque diligentia suscepisse, inter se collatis variis editionibus, atque etiam codicibus manu exaratis quaquaversus sparsis. Itaque, licet nonnulla menda in hanc editionem irrepserunt, neque omnia quæ composuit Damascenus, complectitur, tamen longe cæteris accuratior est, et merito optima habetur(2). Eamdem præ manibus tenui dum studia in operibus B. Doctoris ponerem: (Venetiis græc. lat. 1748).

Deinde recognoscenda sunt opuscula Damasceni, quæ majoris censentur, quæque genuina, ea serie qua apud editionem P. Lequien ordinantur.

1° Tres orationes de Imaginibus, de quibus jam actum est.

(1) Inter alios appellabo : Feller, *Biogr. univ.* — D. Remi Ceillier, *Biblioth. Eccl.* — Ellies Dupin, *Biblioth. Eccl.* — L'auteur de l'article de la *Biographie universelle.* — Bouillet, *Dictionn. historique*..... Ce dernier s'exprime ainsi : « ... On remarque parmi ses ouvrages une « Dialectique, des Traités des Hérésies, des huit Vices capitaux. »

(2) Fabricius, apud edit. Migne, Præf., p. XIX. — Primum edita est anno 1712, græc. latin., et rursus Venetiis, ann. 1748. Eamdem nostris temporibus prælo subjecit D. Migne, sacris quidem carminibus quæ nuper Card. Maï in lucem protulit atque Damasceno restituit, adauctam.

2° Tractatus contra Jacobitas, seu Acephalos. Hoc opus conscriptum esse a Damasceno conjicit editor, antequam ille in Palæstinam secessisset.

3° Dialogus contra Manichæos; in quo inducitur sermo ortho-doxi cum Manichæo disputantis; referunt istos desipientes homines, in partibus Syriæ, Leone Isaurico imperante, genus propagasse, et communem operam cum Mahumetanis ad fideles Christianos opprimendos contulisse; contra quos contendit Damascenus — Duæ christiani hominis cum Sarraceno disceptationes.

4° Institutio elementaris. — Dissertatio contra Acephalos. — Dissertatio de duabus voluntatibus. Dissertatio adversus Nestorianos. Argumenta quæ pressa substructaque brevibus cancellis in libro de Fonte Scientiæ comprehuntur, in his diffusiori ambitu redundant.

5° Sacra Parallela. « Hæc contexta sunt ex selectissimis « quibusque et elegantissimis theologorum sententiis, inque « locos communes digesta(1); » quæ tamen maxime spectant ad mores.

6° « Ex universa interpretatione S. Joannis Chrysostomi (in « B. Pauli Epistolas) excerpta compendiaria, selecta a S. « Joanne Damasceno (2). »

7° Varia carmina, seu cantica, quibus noster præclara fidei mysteria exornabat; tum conciones pro festorum solemnitatibus compositæ.

8° Inter opera quæ nondum typis mandata desiderantur, seu in imis bibliothecis, aut in privatorum domibus alto silentio involuta jaceant, seu in totum interierint, imprimis annumeranda sunt :

1° Λεξικὸν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ σοφωτάτου κυροῦ Ἰωαννοῦ

(1) J. Billii Admon. in sacr. parall.

(2) P. Lequien Admon. in Comment. Epist. S<sup>ti</sup>. Pauli.

πρεσβυτέρου τοῦ Δαμασκηνοῦ διωρθωθὲν, καὶ ἀπὸ διαφόρων βίβλων τὰς λέξεις εἰς ἐτυμολογίαν ἑρμηνεύσαντος. Opus, aiebat Allatius, ingens, copiosum et singulare. Præfat. xxvii.

2° Synopsis in Vetus Testamentum modo philosophico exposita, (juxta indicem manuscriptum Bibliothecæ Mediceæ. — Leo Allat., Proleg., §. lxxvi. P. lxv.)

3° Liber de vita et moribus Salvatoris. — Leo Allat., id., §. lxxvii, P. id.

---

## CAPUT II.

### DE DIALECTICA SANCTI JOANNIS DAMASCENI.

Dialectica B. Damasceni, in genere sumpta, nihil præstat præcipuum ac singulare quod animadvertas; scilicet S. Doctor disciplinam Aristotelicam Porphyrii *universalium* vocum enarratione auctam in opera sua invexit, paucis mutatis verbis atque sententiis; de quibus, cum pervulgata sint, omnibusque nota etiam pauca dicere superfluum esse videtur; in priore parte de simplicibus nudisque vocibus disserit, quarum notiones simplices declarantur; in posteriore autem de ratiocinatione tractat; quam quidem breviter perstrinxit, ratus sane veritatem variis variorum argumentorum captionibus non egere (1); jam inde exempla proponens, ad cujus normam utinam scriptores de iisdem disputantes in posterum opera exegissent!

Illud vero advertendum est quod hic primus dialecticam Aristotelis adhibuit christianis dogmatibus instituendis; inde præcipuam laudem habuit, quam nemo unquam detrectavit.

Rem leviter attigi, cum de excellenti Damasceni ingenio ac versatili dicerem, ad omnia propemodum a natura informato.

(1) Fons Scient., Pars prima, cap. 1, p. 8.

Itaque methodi scholastica parens seu inventor merito habetur, quam tot præclarissimi scriptores medio ævo decurrente, diligenter insecuti, summam gloriam sibi adsciverunt, et de humana sapientia necnon, de Relligione à Christo instituta bene meriti sunt. Quidni laudabo S. Anselmum, V. Hildebertum Turonensem, S. Bonaventuram, S. Thomam, Gersonium (ut clarissimorum nomina tantum attingam) qui licet in Fidei gremio enutriti et acquiescentes, ejusdem placitis integra fidelitate adhærebant, rerum tamen intellectum vi ac subtilitate argumentationis percipere conati sunt, neque problemati cuiquam metaphysico resolvendo impotentes sese præstitere?

Profecto Aristoteles, dum rationalem disciplinam argumentorum institueret, neque ventura perpetuoque mansura dogmata opinione præcepit, neque horum assertoribus artem quam excogitaret tam solerti animo ad plurimos usus olim perutilem fore suspicatus est; nulli quidem sectæ illam accommodare annixus est philosophus, sed simplici veritati, quocunque spectaret, perscrutandæ invenit : eamdem scilicet sagacissimi ingenii beneficio comparavit, quo felix naturæ indagator elementa, quibus omnia constant recensuit, atque ita ordinavit ut inter se aptissime convenirent. Hæc igitur Dialectica omnium meruit consensum ; ipsi Christianorum dogmatum propugnatores istam artem exercuerunt, cujus ope hæc tuerentur, et objecta ex adverso dissolverent. Quod mihi argumento est fidem et rationem non in diversum tendere, ut aliqui perperam arbitrati sunt, neque inter se pugnare, sed mentem humanam, si sui compos, si liquida sit, poscenti cur fidei devinciatur, explicare, seu rationem reddere posse (1).

(1) « Non est fides contra rationem, sed supra rationem. Et ideo « qui nihil credere vult nisi quod ratione comprehendit, ut Philo- « sophi, non habet meritum fides sua; sed qui illud quod non est « rationi contrarium, et tamen est supra rationem, credit. » Hil-

Damascenus igitur disciplinam aristotelicam armavit ad christianam fidem muniendam ; quod quidem hominis erat tum prudentis et idonei, cui scilicet quod verum et bonum est ipsi in mentem veniret, quod autem absonum vel errori affine natura repugnaret, tum tutissima doctrina imbuti ; namque instrumentum erat comparandum quod veritatis assertoribus esset in manibus firmissimum munimentum simul ac telum lethiferum, non autem plaga texenda quibus ipsi caperentur.

Doctrina peripatetica, nota loquor, jam inde sensim probata fuit ; mox eamdem fere omnes artium liberalium præceptores et theologiæ doctores professi sunt, ut quisque in verba Aristotelis jurare solitus sit. Sed superiore ævo, cum scilicet S. Patres evertere niterentur sive idolorum superstitiones, sive priscarum hæresеum somnia, quæ prima ætate Ecclesiæ exortæ, non aliunde quam et veterum philosophorum commentis scatebant, neque illi, neque alii cuiquam gentilis sapientiæ principi omnino se dedebant ; non quod crederent his antiquis auctoribus veritatem penitus elapsam esse, quam quærere profiterentur, et totum eorum laborem, postquam tanto operi impalluissent, tot procudissent libros, et tam multas commentationes confinxissent, inanem evasisse ; quasi eorumdem instituta nihil probandum, nihil veræ sapientiæ consentaneum, nihil fructuosum Christianis præstarent, nullamque suppellectilem argumentorum rationumque idoneam suppeditarent ad fidem animis seu instillandam, seu stabiliendam ; namque S. Doctoribus huc illuc philosophorum hortulis incursantibus, multa quæ laudarent, quæ excerperent, placuerunt ; verum nullius sectæ disciplinam in universum propositam, suisque partibus absolutam probabant, nec scriptis vel præceptionibus profitebantur ; eximias quidem et præ-

deberti, Opera theolog. cap. VIII. col. 1030, apud Hebert-Duperron, De vit. et op. Vener. Hildeb.

claras sententias quas ediderant hæc nobilia ingenia, laudibus extollebant, errantes autem opiniones quas temere contendebant, acerrimis profligabant vituperationibus(1).

Sic Platoni haud pepercerunt S. Patres, vehementer ei loca exprobrantes ubi lapsus est ; qui prioribus seculis male audiit, cum Gnosticorum absona inventa quocunque serperent : « De Platonis Philosophia major et antiquior est expostulatio « Christianorum Patrum, quod superiores fere omnes hæreses « à Platonicis inventæ excultæque sunt, aut ex eorum con« sutæ fabulis indidem originem repetunt(2). »

Cæterum elogium illud haud pauci consenserunt, multa graviter elato et magnifico spiritu ab eodem fuisse disputata.

Deinde Aristotelis Organum(3) censuris carpserunt scrip-

(1) Baltus, *Défense des Pères*, *liv. I*, *ch.* VI, juxta Lactantium, *Divin. Instit.*, *liv. VIII*, *ch.* VII.

(2) P. Petavius, Prolegom. Dogm., Theol. cap. III.

(3) Operæ pretium est hic inquirere utrum veteres Ecclesiæ Doctores, atque etiam ipse Damascenus, omnia opera Aristotelis, an solummodo ejus Organum (categoriarum scilicet, interpretationis, analyticorum, topicorum, elench. sophisticorum libros) ad legenda in promptu habuerint. In occidentalem quidem regionem non nisi categoriæ et introductio a Boëtio conversa expressaque latina voce, simul ac Porphyrii Commentarii iisdem præfixi, ante XII$^{um}$ seculum circumferebantur : « Dans les commencements du XIII$^{e}$ siècle, Aristote « ne paraît que comme le maître suprême dans l'art de raisonner : « depuis 1230 ou 1240, sa réputation, au contraire, s'est tellement « accrue par l'introduction de ses ouvrages philosophiques qu'on « oublie ses autres titres, pour ne plus parler que de ses travaux « sur la nature, sur la physique. » Jourdain, *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote ; Paris*, 1819, *p.* 30. — Ecclesiæ vero Orientalis S. Patrum in manibus fuisse, præter Aristotelis opera quæ ad Dialecticam spectant, ejusdem tractatus de Natura, imo et de rebus metaphysicis, verisimile duco, quanquam P. Petavius scribit : « Aetium et Eunomium prima tan« tum elementa Dialecticæ libasse, ac nihil admodum supra Catego-

tores Ecclesiastici, circa tempora Arii, Aetii, et Eunomii, aliorumque ejudem indolis hominum, qui dogmata christianorum audacter aggressi sunt; istos enim hæreseum opifices, arte

« rias Aristotelis, ut tum tempora illa ferebant. » Proleg., c. III, §. IV. — Vix enim mihi persuasum est B. Justinum (Philosoph. et Mart.) qui haud semel Platonem cum Aristotele conflictantem inducit, non hujus interiorem doctrinam combibisse, aut S. Basilium, librum illum de Physicis, omnino fugisse, cujus sententias in Hexameron irridet. Damascenus tandem ejusdem operis capita quædam in Dialectica laudavit (cap. 101); a quo etiam libri tum de Rhetorica, tum de Moralibus agentes, alibi citantur (Lib. de duabus vol.). — De plus, l'auteur dont je viens d'invoquer l'autorité nous fournit un précieux renseignement: « Sous les Abassides, dit-il, la culture « des lettres et des sciences fut encouragée.... Jbn-Kaldoun nous « apprend que le premier ouvrage traduit fut les éléments d'Eucli- « de... Le calife Aroun-al-Raschild, élevé par les soins de Yahya, « le Barmécide, travailla à éclairer les Arabes: on traduisit d'abord « les ouvrages de mathématiques, puis on en vint aux traités de « logique et de métaphysique. Aristote ne put être oublié; car de- « puis longtemps les Nestoriens s'étaient rendu ses écrits familiers, « pour combattre les décisions des conciles d'Éphèse et de Chalcé- « doine. » *Recherches... p.* 85, 86 *et suiv.* — Verum arbitror Ecclesiæ doctores in christianæ fidei tuendis placitis non inferiores quam Nestorianos in iisdem impugnandis sese præstitisse; quin et illis, imprimisque B. Damasceno, si quibusdam inter recentiores eruditis auctoribus fides adjicienda est, hoc beneficium debuit gens Saracenorum, quod notos habuerit omnes philosophiæ locos: « Saint Jean « Damascène a été l'initiateur des Arabes à la philosophie grecque, « non pas à la cour des califes Abassides, mais un siècle plus tard, « à celle des califes Ommiades; non dans Bagdad, mais à Damas. « En alléguant ici l'influence de Saint Jean Damascène sur les pre- « miers développements de la philosophie chez les Arabes, je ne « parle pas de mon chef. J'ai pour moi une autorité sûre et incon- « testable, celle de mon savant confrère, M. Reinaud, qui a fait à « ce sujet des recherches encore inédites, d'où résulte la preuve « certaine que cet illustre Père, Saint Jean Damascène, qui jouissait

dialectica abutentes, callidis ac versutis disputationibus prodigiosa figmenta, quæ mente conceperant propagare memoriæ traditum est : « Fuit enim, ut historiæ narrant, Arius dia-« lectica, loquacitate et astutia præditus : acerrimus cum esset, « ait Sozomenus, atque ejusmodi disciplinis imbutus, in ab-« surdos sermones delapsus est. » Talis et Aetius ac discipulus ejus qui fuit Eunomius, in iisdem describuntur historiis. De Aetio prodit Epiphanius : « Eum jam ætate grandiorem, « cum exterarum esset rudis artium, tandem Alexandriæ Aris-« totelico cuidam philosopho et sophistæ operam dedisse, a « quo illorum scilicet Dialecticam edoctus, totus in id, ac per « otium incubuit, ut Divini Verbi rationem omnem quibusdam « figuris explicaret. » Idem de eo refert Gregorius Nyssenus, in primo contra Eunomium, ubi Aetium describit « in dispu-« tandi palæstra diligenter exercitatum, cum methodum syl-« logismorum, velut ex Aristotelicæ doctrinæ imagine qua-« dam ac resonantia comparasset, celebre nomen invenisse. »

Horum igitur et similium importunitate factum est, Aristotelis inventis ad exitium ac pestem abutentium, ut apud primos illos defensores fidei male deinceps audiret, qui arma illa ministrabat.

« à la cour des califes Ommiades d'une grande considération, et « qui avait quitté cette cour pour adopter la vie religieuse, l'homme « certainement le plus distingué de l'Orient à cette époque, fut « l'introducteur des Arabes dans le domaine de la philosophie d'A-« ristote... Qu'il me suffise d'affirmer sur la même autorité, sur « celle de tout ce qu'il y a d'orientalistes et d'arabisants à notre « époque, qu'il existe une différence fondamentale entre le génie, « les connaissances et la critique des écrivains antérieurs aux croi-« sades, et ceux qui ont écrit après ces fameuses expéditions. » Lenormant, de l'Institut. *Questions historiques*, *Paris*, *Waille*, 2ᵉ *Partie*, *p.* 84 *et* 85. — Cité par Rorhbacher, *Hist. de l'Église*, T. X, *p.* 504.

Sic Basilius, adversus Eunomium pugnans, « Sermones ejus « ait esse Aristotelis Categoriarum. »

Rursus idem doctor queritur « homines technologice magis « quam theologice de rebus divinis disserere. »

Sequitur Gregorius Naziancenus qui « in Ecclesiam irrep- « sisse dolet captiones sophisticas, ac pravum artificium Aris- « totelæ artis, et hujus generis alia, velut ægyptiacas plagas. »

Gregorius item Nyssenus : « Ingenue ac sine rubore fate- « mur, inquit, nos neque orationem aliquam rhetorico elabo- « ratam artificio ad certamen comparasse ; neque dialecticæ « subtilitatis argutiam ad auxilium contra adversarios præten- « dere ; quæ et veritatem in mendacii suspicionem apud impe- « ritos traducit. »

Cyrillus Alexandrinus quoque eosdem deridet hæreticos « qui « nihil aliud quam Aristotelem ructant : et istius potius disci- « plinis quam Scripturarum scientia sese venditant. » — Ex Prolegom. Dogmat. Theolog. P. Petavii, Cap. III.

Nolim tamen conjicias ex his incursionibus adversus disciplinam Aristotelicam, illa summa ingenia philosophiam in totum abdicasse, eamque a fidei consortio rejecisse (1) ; præclara enim alibi testimonia prodiderunt, quæ illi magnifice favent ; sed cum hæretici quidam argumentandi calliditate niterentur, et Aristotelis institutorum obtentu christiana dogmata improbe incesserent, tunc hujus doctrinam odio habuere.

Cæterum Peripateticarum exercitationum series illis etiam temporibus continuata esse mihi videtur ; namque apud Eusebium ista perlegi : « Huic deinde (Eusebio Laodiceæ Episcopo)

(1) Imprimis adeas Institutiones Theologicas P. Thomassin, cap. XXXVIII. Prolegomenorum, in parte extrema, ubi hæc legas: « Ea causa non imputetur, cur pene tumultuarie in hunc locum « congeremus quæ a Sanctis Patribus dicta sunt, nunc in horum « commendationem philosophorum, nunc in eorumdem vitupera- « tionem... »

« substitutus est Anatolius, bonus quod aiunt boni viri succes-
« sor ; ipse quoque domo Alexandrinus. Hic tum in liberalibus
« disciplinis, tum in philosophia principem inter doctissimos
« nostris temporibus viros locum sine controversia tenuit ;
« quippe qui ad summum apicem Arithmeticæ, Geometriæ,
« atque Astronomiæ ; ad hæc ad Dialecticæ et Physicæ ac
« Rhetoricæ supremum fastigium pervenisset. Qua de causa
« rogatus fuisse dicitur ab Alexandrinis, ut Aristotelicæ suc-
« cessionis scholam ibidem institueret (1).

Sed cum, abjecto idolorum cultu, hæreticorum quoque pugnax et contentiosus ardor deferbuisset, periculum cessavit de incolumi sacrorum dogmatum integritate ; tunc quidam magni et sapientes viri cognoverunt quæ materia et quanta opportunitas veterum philosophorum inessent elucubrationibus ad muniendam et exornandam Christianam Fidem ; his igitur operam navavere. Boetium norunt omnes in Porphyrii Isagogen et Aristotelis Categorias copiosos edidisse commentarios ; qui maximis laudibus commendati sunt, atque etiam in usu et scholarum exercitationibus medii ævi temporibus sunt accepta. Postea Damascenus, in orientali quidem regione, Aristotelicam dialecticam et Porphyrii universalia pariter tractavit, causatus scilicet « Apostolum monuisse, ut omnia probantes,
« quod bonum est teneamus. Fortassim enim, inquit, apud
« Gentilium sapientum libros mercium aliquid nanciscemur,
« et nonnihil quod animæ utile sit, ex ipsis decerpemus.
« Omnis siquidem artifex aliquibus instrumentis indiget, qui-
« bus opera sua conficiat ; sed et consentaneum est ut ancillæ
« quædam reginæ serviant. Hanc igitur assumere doctrinam
« non pigeat, quæ veritati famuletur, quo propulsemus im-
« pietatem, quæ tyrannidem olim suam in eam exercuit. Ab-
« sit vero ut eo, quod bonum est, male utamur, ac disse-

(1) Eusebius, Hist. Eccles., l. VII, c. XXXII, edit. græc. lat.

« rendi rationem ad simpliciores decipiendos tractemus(1). »

Eodem recidunt quæ jam in epistola nuncupatoria declaraverat qua opus suum Episcopo Majumæ dicavit : « Primum itaque eorum, qui apud Gentiles sapientiæ laude insignes fuerunt, omnia quæque edisseram : quippe cum compertum « habeam, quidquid boni fuerit, Dei beneficio mortalibus concessum esse ; quoniam omne datum optimum, et omne do- « num perfectum desursum est, descendens à Patre lumi- « num... »

Illud vero ipsi ex animo non effluxerat nuper Ecclesiam utrinque petitam, quotidianos impetus sustulisse infensorum hominum, qui inhonestis artibus veræ ac sinceræ Philosophiæ definitiones detorquentes, pia Christi dogmata simul ac prima rationalis disciplinæ elementa, hostiliter insequebantur ; quare Aristotelis logicam exposuit, mutatis quibusdam sententiis, aut saltem verborum restituta nativa significatione, qua fucata hæretici sua defendebant somnia. Demonstrationis enim leges firmas et immutabiles stare, ex eo patet quod a natura ipsa instituantur, fiantque rationis ipsius quasi forma immortalis nullique depravationi obnoxia(2) ; has igitur Damascenus intactas servare, et qua mente Aristoteles ipse eas condiderat, brevioribus tamen terminis, transcribere religioni duxit ; quædam vero universalia verba, quorum scientiæ plurimum interest significationem liquido sensu definiri, ut substantia (οὐσία), natura (φύσις), personna (ὑπόστασις), forma (μορφή)...

(1) Fons Scientiæ, 1ª Pars, cap. I, p. 8.

(2) « La logique d'Aristote est, comme vous le savez, Messieurs, « la législation même du raisonnement : l'analyse de la proposition, « par le philosophe de Stagire, est un des chefs-d'œuvre de l'esprit « humain ; et les règles du raisonnement qu'il a posées sont l'expres- « sion même de la nature des choses. » Maret, *Théodicée chrét.*, 3ᵉ *leçon*, *p.* 61. *Paris*, 2ᵉ *édit.*

et alia hujusmodi plurima eruditione discussit, et aperte explanavit. De his fusius in sequenti capite dicemus.

Postquam de cognitione B. Doctor pauca disseruit, jamjam aggressurus Philosophiam, ejus varias definitiones tradit, quam ad extremum amorem esse sapientiæ decernit : « Porro, « inquit, vera sapientia Deus est, atque adeo dilectio erga « Deum, ipsa est vera sapientia(1). » Tum eamdem, more Peripateticorum, in speculatricem et practicam seu activam dividit ; speculatricem subinde in Theologiam, Physiologiam et Mathematicam partitur, et Praticam itidem in Ethicam, Œconomicam et Politicam. Nullum, ut cuique patet, Dialecticæ locum attribuit, quia profecto ut merum instrumentum habet ; de quo mox dicetur. Deinde quasi importunis et inutilibus impedimentis solum expedire, antequam accurate fundaret opus, vellet, Pyrrhonios philosophos refellit pressa quadam brevique argumentatione, cujus vis præpotens et invicta pectus ferit horum quæsitorum, qui in perpetua agitatione versantur, semper considerantes quidnam sit omnium rerum de quo decerni constituique possit, et nihil unquam decernunt neque constituunt :

« Philosophiam, inquit, e medio tollere nonnulli conati « sunt, illam ipsam, ullamve scientiam aut perceptionem « negantes existere. Quos quidem ad hunc modum refellemus. « Quonam pacto Philosophiam, omnemque scientiam, et com- « prehensionem exstare inficiamini ? an quod hoc vobis notum « compertumque est ? ac si quidem in vobis certo compertum « est, ex hoc ipso sequitur cognitionem esse et comprehensio- « nem. Sin autem hoc minime assecuti estis, ecquis tandem « erit, qui fidem vobis adhibeat, quando ea de re disputatis, « cujus cognitionem neutiquam percepistis(2) ?

(1) Fons Scientiæ, 1ª Pars, cap. III. Φιλοσοφία πάλιν ἐστὶν φιλιά σοφίας. Σοφία δὲ ἀληθὴς, ὁ Θεός ἐστι. Ἡ οὖν ἀγάπη προς τὸν Θεὸν αὕτη ἐστὶν ἀληθὴς φιλοσοφία.

(2) Fons Scientiæ, 1ª Pars, cap. III, p. 10.

Hæc videor satis esse superque ad excutiendam radicitus opinionem Scepticorum, quæ nihil aliud est nisi ineptiarum, nugarumque congestus sese invicem, ut ægri somnia, detrudentium; nec operæ pretium est philosophum vitam consumere, et ingenii vires conterere, dum eorum ridicula et deridenda, quibus nituntur, argumenta studiose persequitur: ipsimet, quia non sibi constant, suis manibus, opera quæ magno conatu exstruxerint, diruunt; aut gladium, quibus jugulentur, eos porrigere diceres.

Tunc vero de Dialectica quæstio est: « Quia igitur, inquit « Damascenus, Philosophia est cognitio eorum quæ sunt, agedum « de ente verba faciamus. Verum nosse attinet, ordiri nos ab ea « Philosophiæ parte quæ circa ratiocinationem occupatur, quæ- « que Philosophiæ instrumentum potius est quam pars; quippe « cujus opera ad omnem demonstrationem utatur. Eorumdem « complexa verborum logicam definierat Aristoteles, quam « Organum, seu instrumentum scientiarum vocat. » Hanc fere « definitionem usurpavit S. Augustinus (1) atque etiam logi- « cam « disciplinam disciplinarum » habuit. Vix mihi ab his prioribus dissentire videntur Bossuet et Port-Royal; alius enim eamdem appellat: « Une science pratique par laquelle nous « apprenons ce qu'il faut savoir pour être capables d'entendre « la vérité (2). » Alius autem: « L'art de bien conduire sa rai- « son dans la connaissance des choses, tant pour s'en instruire « que pour en instruire les autres (3). »

Magis vero recentioribus placet logicam scientiam definire; aiunt enim Philosophiam quidem in veri investigatione versari, et industria quadam illi opus esse, ad hunc finem assequendum, quod dialecticæ munus tribuitur; sed quo jure ea utatur,

(1) De ordine, cap. II, p. 346, edit. Bened.

(2) *Logique, Introduction.*

(3) *L'art de penser, chap. I.*

quave ratione illam copiam varietatemque argumentorum adhibeat, ipsa examinare debet; atque philosophus, nisi in partem speculativam earum quæ in usu reponenda sunt, penitus pervenerit, et niti ratione eam ostenderit, futilem disciplinam texet, quæ opinionum inter se confligentium ludibrio sit; inde conjiciendum Dialecticam non tam sciendi instrumentum esse, quam rationem præceptorum quibus ipsa constat: quamobrem merito scientia nuncupatur.

Quatenus res ita se habeat, utrum scilicet ars sit Dialectica, an potissimum scientia, statuere minime ausim; neque nostri est hanc componere litem, quæ diu futura est sub judice. Cuique enim de iis disputanti, nec valenti auctoritate, quadam cautione opus est. Cæterum Damascenus jure suo uti potuit, in hac definitione Dialecticæ assumenda, quam tot tantique viri confidenter præstiterint.

Parum curavit B. Doctor, ut notat P. Lequien, discrimen ab Aristotele institutum, opinationis scilicet et demonstrationis; seu censuerit illam priorem potius ad humana negotia pertractanda, hanc autem ad veritatem scientiarum aperte declarandam imprimis adhiberi (1); seu crediderit argumenta, probabilibus an certis admoveantur, in summa ad fidem faciendam spectare (2). Ut ut est, non in sententia Aristotelis (3) Dialecticam accepit; hanc vero pro ea parte Philosophiæ sumpsit, quæ in omni demonstratione exstruenda versatur. Quare inter hujus partes annumeravit divisionem, definitionem et demonstrationem et resolutionem (4). Quanquam, ut aiunt, syllogismus, « qui partis demonstrantis est (5), » jam notæ veritati

(1) Bossuet, *Logique, liv. III, chap. XVI et XVII.*

(2) *Id., chap. XVII.*

(3) Hoc munus dialecticæ tribuit Aristoteles, nimirum quæstiones expendendi, et in contrarias partes illas excutiendi. Topic., I, c. II.

(4) Fons Scientiæ, 1a pars, cap. LXVII.

(5) Id

idoneis probationibus confirmandæ potissimum inserviat(1), per resolutionem autem ignotarum rerum naturam mens penitus introspiciat(2). — Verum necesse est admonearis B. Doctorem *mediata* plerumque uti ratiocinatione, ea scilicet, qua per medium, seu per ea quæ notiora aut certiora sunt, obscuris vel incertis fides non dubia afferatur.

---

## CAPUT III.

### DE DEFINITIONIBUS QUÆ NONNULLORUM VERBORUM SIGNIFICATIONEM APUD DAMASCENUM DECLARANT.

Celebris Laromiguière multa ingeniose et enucleate, pro ejus consuetudine, de definitionibus disputavit : id vero imprimis præcepit, ne in frequentiorem usum inciderent ; ipse, cum monitis exempla ministrans, pauca definivit(3). Idcirco definitiones huc usque plerumque adhibitas repudiat(4), ut potius in

(1) Descartes : « ... Le syllogisme peut servir parfois à mieux exposer aux autres des raisons déjà connues... » *Règles pour la direction de l'esprit*, *X*.

(2) Descartes, « La dialectique vulgaire est entièrement inutile à « ceux qui veulent découvrir la vérité. » *Règles pour la direction de l'esprit*, *id. X*. « Toutes les fois qu'on ne peut ramener à une sim- « ple intuition une connaissance quelconque, il faut rejeter les liens « du syllogisme, et n'avoir foi que dans l'induction, ou énuméra- « tion suffisante. » *Règl. VII.*

(3) « Je fais rarement des définitions ; et surtout quand je cherche « à vous transmettre des idées que vous pourriez ne pas avoir, je « ne commence jamais par des définitions. » 12e *Leçon*, 1re *partie*, 1e *édit*, *page* 290.

(4) « Les définitions, par l'impossibilité où elles sont de compren- « dre toutes les acceptions ; par l'arbitraire qui en fait une source « d'abus ; par l'ignorance qui semble n'en faire usage que pour « obscurcir les objets qu'elles sont destinées à éclairer ; enfin par la

disputationibus cavillatrices, quam in auctoris officio multum allaturæ momenti : alias quidem putat infirmiores esse, neque rerum naturam penitus comprehendere, alias autem adeo contortas et retortas, ut menti caliginem, nedum facem admoveant ; illas demum, quia ab imperitis præpostere usurpentur errores facere, et contentionum queis componendis erant propositæ rursus alere pugnacitatem. Idem censet nullam scientiam definitioni subjiciendam esse, antequam suis partibus innotescat, neque auctorem, opus quodlibet inchoantem, materiam quam aggreditur, apte definire (1) ; hanc vero meliorem et prudentiorem disciplinam duxit, si quis rem paulatim aperiat et explicet, ab ejus elementis exorsus, quæ nosse omnes certum est, unde sequentia ductu naturali effluant, quibusque vinculo arctissimæ cognationis nectantur, demonstratio-

« maladresse qui ne sait jamais les présenter à propos, sont deve-« nues une cause universelle de malentendus et de vaines dispu-« tes. » 12e *Leçon*, 1re *partie*, 1e *édit.*, *p.* 310. — Et rursus : « Les « définitions sont inattaquables, et on les attaque ; elles ne peu-« vent fournir matière aux disputes, et c'est sur les définitions sur-« tout qu'on dispute : elles devraient tout apaiser, tout concilier, « tout terminer ; elles aigrissent tout, divisent tout et ne finissent « rien. Comment expliquer un phénomène qui semble ne pouvoir « pas exister? » L'auteur entre ensuite dans les différentes raisons qui expliquent cette confusion. *Id.*, *id.*, *p.* 316.

(1) ... *Une montre est une machine qui marque les heures.* — *L'entendement est la faculté d'acquérir les idées.* « De pareilles définitions « disent-elles ce que c'est qu'une montre, ce que c'est que l'enten-« dement? Vous apprenez ce que nous devons à l'entendement ; « quels sont les services qu'on retire d'une montre ; mais savez-vous « ce qui constitue en elle-même cette faculté à laquelle nous devons « toutes nos idées? En avez-vous pénétré la nature intime? Con-« naissez-vous tous les rouages qui entrent dans une montre? Seriez-« vous en état d'en faire une, ou de diriger l'ouvrier chargé de ce « travail ingénieux? » 13e *Leçon*, *p.* 327 *et* 328.

nem scilicet a rebus notissimis ad occulta usque producens (1).

Verum si rerum definitiones neque expediat, nequet deceat semper ab exordio præstari, aliter dicendum est, ni fallor, de verbis, quorum non in promptu sit significatio, quæque magis difficultatis habeant, haud parce ab usu detorta. Ea primum, si frequentiora recurrant, auctorem necesse est interpretari. Fatetur enim præclarus philosophus (2), supra laudatus, hominem, si linguam ipse sibi propriam procudisset, nunquam profecto explicationibus seu rerum, seu verborum indigere; cui satis futurum fuisse, ad significationem cujuslibet vocis percipiendam, si earum rerum meminerit, unde illam elicuisset; sed e contrario constat hominem non sibi tantum aut loqui aut scribere, verum et aliis; illamque primam legem esse cujuslibet auctoris verba palam facientis, ut ea tantum efferat, quæ plane ab omnibus intelligantur, quo facilius auditorum vel lectorum quivis, tum sententias, tum contextum orationis appre-

(1) « N'oubliez pas, toutes les fois que vous chercherez la définition d'une idée, de vous demander comment cette idée a été engendrée, quelle est son origine immédiate, c'est-à-dire quelle est l'idée connue dont elle dérive. » 12e *Leçon*, *p.* 336 *et suiv.*

(2) « Un homme qui ferait lui-même sa langue, n'aurait jamais besoin de chercher ses définitions ; il lui suffirait de rappeler les circonstances où il aurait imaginé un mot, pour en connaître la signification. » 12e *Leçon*, *id.*, *id.*, *p.* 308. — « Dans la question présente (substance) comme en un grand nombre de questions, il est dangereux de commencer par une définition autre qu'une définition de mots. Définir, c'est expliquer; comment expliquer ce qu'on ignore? or, au début des recherches, l'ignorance est au moins supposée. Ne disons point : Voilà ce qu'est la substance, mais seulement : Voilà ce que j'entends par le mot substance, et nous éviterons d'inextricables difficultés. » *Philosophie de Balmès*, *de la Substance*, *liv* *IX*, *c. I*, *p.* 143, *tom.* 3, 3e *édit.* — Cfr Gassendi, Logic. IV ps. canon VII, p. 123.

hendat, nedum ambiguis et obscuris locutionibus offendatur et hæreat.

Damascenus, in tractatione Dialecticæ, primum de simplicibus nudisque vocibus, tum de ratiocinatione disseruit. Sed majore studio ad hanc partem evolvendam incubuit, quæ circa verborum vim et significationem versatur. Neque vero hoc satis esse duxit, dum describeret qua lege bona et valida sit definitio, unde sumenda sit, quibus demum terminis concludenda, atque etiam dum præcipua philosophorum vocabula, ut sunt *universalia* et *prædicamenta*, solveret; sed locutionibus ignotioribus, quæcunque inciderent, quibusque finitione opus erat, explicandis curam impendit. Nam multum interest eos qui de optimo genere philosophandi scribunt, vel de arduis sublimibusque rebus inquirunt, hanc verborum sollicitudinem capere; cum sæpissime vocibus utantur, aut vix aut perperam a lectore intelligendis, quia obscuræ sunt et ab usu abhorrentes; quæque, nisi apertissime explanabuntur, ipsi tædia afferent, et animum impedient, ne clara luce operis propositum dispiciat.

An non ea causa frequens est cur scripta nonnulla, in quibus potissimum metaphysicæ quæstiones indagantur, licet eximia doctrina præcellant, abstrusiora tamen et obscuriora se præbeant, ut meditanda diu, non legenda sint ?

Opera vero hujusmodi neminem offenderent, si primum inter auctorem et legentem conveniret, non modo quid sit id de quo agatur, sed quæ significatio vocibus parum usitatis, atque etiam iis in consuetudinem cadentibus, cum ambiguum intellectum efferant, subjecta sit.

Hæ verborum enodationes, quanti sint pretii, et quam magnam levationem intentioni mentis præstent, ex insigni Damasceni exemplo æstimare licet.

B. Doctor, ab exordio operis circa quænam verba philosophia versetur inquirit, atque illam universalia tantum curare

declarat; postquam vero variis quæstionibus ad divisionem definitionemque spectantibus abunde satisfecit, ea universalia verba, quæ, ut genus, species, differentia, magis philosophiæ sunt propria, juxta Porphyrii Isagogem, unde excerpta sunt, interpretatus est; præterea alios eadem pronuntiandi modos, nempe prædicatio latior, æquivoca, in quid, in quale quid, attexuit.

His absolutis, et jam Aristotelis capita aggressurus, quibusdam Dâmascenus insistit vocibus, tum ab externis Philosophis, tum a sanctis Patribus, in hujus universalis generis significationem, quod cætera sede ac dignitate præstat, frequentissime adscitis; substantiam (ουσιαν) dico, naturam (φύσιν) et formam (μορφὴν); tum individuum (ἄτομιον) personam (πρόσοπον) et hypostasim (ὑπόστασιν). Quorum terminorum usum ab his et illis dissimili ratione receptum accurate definit, sanctorumque Patrum auctoritati et judicio obsecutus, horum interpretationem habet præponendam, et in ea inhæret. Quin etiam illa vocabula erant, in quibus maximorum certaminum et quæstionum summa constiterat; noster igitur eadem tum à sophistarum cavillationibus, tum ab hæreticorum malignis pravisque solutionibus purganda studiose curavit (1).

« Si fides B. Doctori adjicienda est, externi philosophi « eodem modo (οὐσίας) et (φύσεως) differentiam statuerunt; « (οὐσίαν) quidem usurparunt pro *esse* absolute et simpliciter: « (φύσιαν) vero, id est naturam, dixerunt esse *usiam* per essen- « tiales differentias specificatam, quæ cum eo quod absolute

(1) In iisdem vocibus (substantiam dico, naturam, subsistentiam, personam.) enucleandis diligentem operam posuit S. Thomas. — Quæstio XXVIII, XXIX, I[a] pars, passim, et alibi. — Non abs re profecto esset huc definitiones ab illo institutas adducere; sed istam mihi altam et profundam necessitatem remittas, oro; quippe cui peculiaris disceptatio solvendæ vix sufficeret. Pauca tantum e B. Thoma loca afferam, ea scilicet quæ cum Damasceni effatis videbuntur melius esse conferenda.

« existat, etiam tali modo esse habet; sive rationalis sit, « sive irrationalis; sive mortalis, sive immortalis; hoc est, « ipsam volunt esse, ut ita dicam, immutabilem, atque ab « omni variatione alienam originem, et causam et vim uni- « cuique speciei a summo opifice rerum insitam per quam mo- « veri seu operari possit... Hanc, inquam, *naturam* appella- « runt; hoc est *specialissimam speciem*; puta angelum, ho- « minem, equum, canem et his similia; quæ veluti genera- « liora *hypostases* complectuntur, inque singulis *hypostasibus*, « quæ sub ipsis continentur, peræque ac sine ullo defectu « existunt. Itaque quod particularius est, *hypostasim* voca- « runt; quod autem generalius est, ac hypostases comprehen- « dit, nuncupaverunt *naturam*; denique existentiam simpliciter « dictam nominaverunt (οὐσίαν), id est substantiam.

« At Sancti Patres, ait rursus Damascenus, prolixas ac « ineptas contentiones missas facientes, id quod commune « est, ac de multis dicitur, id est specialissimam speciem « substantiam et naturam, ac formam appellarunt, ut ange- « lum, equum, canem et his similia... quod autem particu- « lare est individuum et personam et hypostasim nuncupa- « runt, ut Petrum et Paulum (1). »

Varii sensus vocis *usia* seu *substantia*, hic inter se confe- runtur. Sed illud mentem disturbabat, quod Damascenum qui- dem ad Aristotelem (2), ut ei censoriam notam inureret,

(1) Fons Scientiæ, I^a^ Pars, cap. XXX, p. 36.

(2) « Quod externos philosophos, ait Damascenus, οὐσίαν nihil aliud « condidisse quam ὕπαρξιν simplicem vereor ut obtinere possit. Et- « enim οὐσίαν in capite præcedenti demonstravimus ab Aristotele « aliisque vulgo philosophis maxime propria notione individuam ac « determinatam substantiam significare. » P. Petavius, De Trinitate, liber III, cap. II, p. 321, tom. 2.

Cujus tamen difficultatis alibi hanc præbet solutionem clarissimus auctor, a quo illa superiora excerpsi: « Οὐσία, sive substantia aut

attendisse, hunc vero ista reprehensione immerito objurgatum fuisse existimarem. Hæc enim verborum inepta contentio, quam queritur Damascenus, neque clara neque explorata apud philosophum mihi esse videbatur, ut ei vitio vertenda esset. Siquidem B. Doctor ait externos philosophos, quod particulare sit, hypostasim nominasse, quod autem generalius hypostases comprehendat, vocasse naturam, ac demum existentiam simpliciter dictam, substantiam nuncupasse; atqui hanc tripartitam substantiæ divisionem, neque excogitasse Aristotelem, neque illi acquievisse conjicere fas est. Sed qua ratione (licet res nota est et apud omnes pervulgata) ipse eadem tractaverit, paucis verbis inquirere juvat.

Ens in ambas partes primo divisit, substantiam scilicet et accidens (1); quæ divisio juxta naturam rerum convenienter et apte statuta fuit; aliæ enim per se subsistunt, ut mens, corpus... Aliæ autem quasi quodam columine nituntur, cui inhæreant, ut figura, rotunditas... Unde Aristoteles tum substantiam, tum accidens hisce definitionibus declaravit: priorem quidem appellat, « quod est subjectum » ; posterius autem « quod est in subjecto. » — Et rursus : « Substantia est quod

« essentia idem est ac τό ὄν absolute. Nam accidens proprie non est « τό ὄν, sed τοῦ ὄντος affectio quædam. Sola vero substantia esse dici- « tur et τό ὄν vocatur, ac secundum generalem illam notionem, et « ut summum categoriæ genus, cum ὑπάρξει convenit, quæ est ex- « stantia rei absoluta universeque spectata qua per genera subjecta, « earumque species et individua sive hypostases diffunditur. Sunt « enim hæc omnia οὐσίαι quædam, quia sunt et existunt, et ὄντα, id « est entia proprie dicta, et primaria nominantur. At φύσις, ut ibidem « Damascenus ait, est quæ proxime continet hypostases, nempe « species ultima quæ communem et infinitam τῆς οὐσίας rationem « certa ac determinata notione definit. Hunc nos Damasceni locum « quem supra commemoravimus, hoc sensu capiendum esse arbi- « tramur. » Id., de Trinit., lib. IV c. IX, p. 391, t. 2.

(1) Lib. de Categ., c. 4 et 5.

« est et in quo aliquid inest ; Accidens vero, quod in alio « inhæret (1). »

Deinde Substantiam bipartito distribuit, nempe in primam et secundam ; primam substantiam (πρώτην οὐσίαν) vocavit, quæ nec de subjecto ullo dicatur, nec in aliquo subjecto sit, velut hic homo, hic equus ; secundam autem (δευτέρας οὐσίας) dixit naturas communes, ut genera, species, quæ in individuis considerantur.

Nomen φύσις multoties in quæstionem vocavit Aristoteles, quod hisce definitionibus declaravit : « Natura dicitur essentia « eorum quæ sunt... » Tum recensitis aliis naturæ acceptionibus, sic concludit : « Ex his quæ dicta sunt colligitur « naturam primam et proprie dictam esse eorum essentiam « quæ in seipsis habent principium motus, prout ipsa sunt (2). » Hæc ab illis vix mihi discrepare videntur, summatim vim et causam unicuique speciei insitam, per quam moveri possit, significantibus. Inde conjicio illam vocem φύσις apud Aristotelem, ad ea tantum quæ materia et forma constant, applicari, neque aliud sonare quam *species specialissima*, seu secunda substantia. Cæterum hoc mihi assentiuntur locupletissimi auctores (3). Aristotelem igitur persuasum habeo non aliam subs-

(1) Metaphys., l. VII, c. 1 et 3.

(2) Not. 2, in cap. xxx, Font. Scient., (Iª Pars), p. 36.

(3) Philosophi interpretes confer. « Dicendum, quod secundum « philosophum (Metaphys., l. v, Tex. 5.) nomen naturæ primo im- « positum est ad significandum generationem viventium, quæ di- « citur nativitas. Et quia hujusmodi generatio est a principio in- « trinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium « intrinsecum cujuscunque motus. Et sic definitur natura (Physic., « l. II, Tex. 3.). Et quia hujusmodi principium est formale vel ma- « teriale, communiter tam materia quam forma dicitur natura. Et « quia per formam completur essentia uniuscujusque rei, commu- « niter essentia uniuscujusque rei, quam significat ejus definitio,

tantiæ partem, præter quas in libro Categoriarum statuerat, affinxisse. Quamobrem, ut eo revertar, unde prætergressus sum, hujus disciplina a Damasceni reprehensione abesse mihi videtur, quippe quæ illa articulosa et contentiosa divisione substantiæ, quam externis philosophis acriter B. Doctor exprobravit, vacet.

Miror igitur cur Damascenus hæc talia commenta externis philosophis adjudicaverit; et quæsitu difficillimum est, cui scilicet eadem restituantur; dum in ea dubitatione haud mediocriter perplexus hærerem, hac suspicione perculsus fui B. Doctorem ad Neoplatonicorum sectam censuras destinasse; quamobrem quid in ista opinione credibile foret experiri volui; sed in cœptis parum feliciter processi, et res conjectura agenda est; quæ tamen inter legendum animadverti, hic breviter exponam.

Philosophi qui e Schola alexandrina prodierunt, in hoc operam contulere, ut veteres Græcorum disciplinas, ab initio inter se repugnantes, pacto amicitiæ aliam cum alia consociarent,

« vocatur natura. » S. Thomas, Quæst. XXIX, art. 1. — Illa etiam apud veteres commentarios in universam Aristotelis philosophiam in rem aptissime cadunt: « Ut reliquas ejusdem vocabuli (natu- « ra) notiones quæ plures sunt omittamus, accipitur natura pro « viventium generatione, quæ nativitas vocatur; atque hæc est « prima et germana tam apud Latinos quam apud Græcos vocis « significatio; dicitur enim natura quasi e nascendo; Græcis vero « φύσις, απο τοῦ φύειν, quod est nasci; at enim quia generatio ab « interno principio oritur, derivatum est naturæ nomen ad signifi- « candum cujusque rei principium, unde unaquæque res primo se « habet ut moveatur... Hæc est autem natura quam Aristoteles hoc « loco (Physic., l. 2, cap. 1.), et alibi (Metaphys., l. V, cap. IV.) « definivit, quæ, ut in progressu patebit, materiam et formam « comprehendit. — Commentarii collegii Conimbricensis, Societ. « Jesu, in universam Aristot. philosoph., Pars I^a, p. 264, 265, « Lugdun, 1607. »

atque ex earum sententiis quæ essent communes, in unum conflatis, novam recentemque doctrinam procuderent, quæ omnium relligionem et fidem in se converteret; imo Christianorum placita adsciverunt, ut ea ejusdem sodalitatis fierent consortia; sic ab illis dogma Sanctissimæ Trinitatis mutuati sunt; quod quidem suis fictionibus accommodare annixi, in res metaphysicas infuderunt(1). Quo vero propius tam dissidentes opiniones connecterentur, omnem curam adhibuere in subtilibus partitionibus instituendis, et in varia multiplicique doctrina

(1) « Ce que l'on voit d'évident dans les écrits publiés par ses « disciples, c'est qu'Ammonius a professé non le platonisme pur, « ni un platonisme nouveau, mais un système composé de plusieurs « doctrines, et connu dans l'histoire sous le nom de Néoplatonis- « me, quoique cette désignation soit elle-même très-impropre. » Matter, *Hist. de l'École d'Alexandrie*, t. I, p. 111. — « Les Alexan- « drins prétendaient posséder ce qu'il y avait de vrai dans le christia- « nisme, auxquels ils firent des emprunts assez nombreux... Ils es- « sayèrent de se rapprocher, à quelques égards... du dogme de la « Trinité, tout en l'altérant profondément. » De Salinis et Scorbiac, *Histoire de la Philosophie*, p. 199. — Du reste, quelques Alexandrins, entre autres Proclus, se plaisaient à retrouver leur Triade en plusieurs objets, si j'en juge par ces paroles : «... Jam vero in me- « dio rerum omnium centro quale est anima, hæc omnia connec- « tuntur, bonum, justum et pulchrum... Neque solum in ejusmodi « trinitate est hic sermo verus, verum etiam in *aliis quoque mul-* « *tis*... Non omnis compos entis compos est vitæ, neque vivens « omne statim est mente præditum, sed vicissim intelligentia om- « nia vivunt atque sunt. Viventia vero sunt quoque vivendo. Cum « vero talis sit in extremis per trinitatem ejusmodi differentia, in « anima confluunt, ubi ens quidem et vita et intellectus existit, « vita vero est intellectus et essentia; intellectus autem et essentia « similiter est et vita... » Procli opera philosoph., edit. V. Cousin, t. III, p. 266, 267. — J'ai espéré un moment rencontrer la division de la substance en trois parties rapportée par S. J. Damascène; mes recherches ont été infructueuses.

condenda ; quorum subsidio, quamlibet disciplinam, qua parte tractabiliorem sese præstaret, assumebant, et in communis instituto rapiebant philosophiæ (1). An vetor opinione augurari horum commentorum artifices, ad Dialecticam ea mente studia applicuisse, atque substantiam trifariam sic dispertiisse, ut narrat Damascenus ?

Ut ut est, videor posse contendere B. Doctorem, nedum Aristotelis præcepta exploderet, ipsa contra observasse ac cæteris proposuisse, iis quidem vocabulis in illorum formulam assumptis, quæ SS. Patres, ut fallaces adversariorum subdolos propulsarent, in honore duxerant.

Itaque Dialecticæ initia repetit ex Entis resolutione, quod in Substantiam et Accidens dividitur ; hanc vero maximi momenti distinctionem, in operis decursu iterat, ne ex animo lectoris excidat.— « At Substantia quidem potior est (τὸ κυριώτερον) « ut quæ in seipsa et non in altera existat ; Accidens vero est « quod in seipso nequit, sed in alio consideratur. Substantia « enim tanquam rerum materies, subjecti rationem habet : « Accidens autem illud est quod in Substantia velut in subjecto « consideratur. »

Ens dividit in Substantiam et Accidens, non ut genus in species, verum ut vox æquivoca ; seu ut ea quæ sunt ab uno et ad unum, scilicet, ut ipse conjicio, ab esse (ἀπὸ τοῦ εἶναι) ad eorum quæ sunt scientiam, quæ ipsamet philosophia est (2).

Peripateticorum doctrinam, ut patet, Damascenus consectatus fuit ; insuper qua definitione Substantiam declaravit Aristoteles, eam quoque ipse retulit ; tum exempli causa Deum resque creatas proposuit, hoc vero subnexo temperamento : « Quanquam Deus ejusmodi est substantia, quæ substantiam

(1) Mgr Bouvier, *Histoire de la Philosophie*, t. I, École d'Alexandrie, *Logique*.

(2) Fons Scientiæ, Iª Pars, cap. XLVI.

« omnem excedat(1). » In alio loco eadem paulo quidem uberius enuntiantur : « Deus simplex est, nec compositus ; quod autem « ex multis et diversis conflatur compositum est. Quocirca si « increatum ac principii exspertem esse, si incorporeum, im- « mortalem, æternum, bonum, rerum omnium opificem, « cæteraque id genus, substantiales Dei differentias dixerimus; « profecto quod ex tam multis conflabitur, non simplex, sed « compositum erit ; quod extremæ impietatis fuerit assere- « re(2). » Sed melius de Supremo Numine dicendum est : « Ex omnibus, rursus inquit Damascenus, nominibus quæ Deo « tribuuntur, nullum æque proprium videtur atque ὁ ὢν... « Nam totum esse, velut immensum quoddam ac nullis termi- « nis definitum essentiæ pelagus, complexu suo ipse conti- « net(3). »

Negat etiam B. Augustinus Substantiam apte de Deo dici, quia nullum in ipso est Accidens(4).

Deus, ait S. Thomas, non est in aliquo genere, sed est extra omne genus (5). Deum igitur neque in genere Substantiæ comprehendi, neque hac voce universali nuncupari decet.

Hoc mihi etiam compertum est illam Substantiæ divisionem ab Aristotele institutam, in primam scilicet ac secundam, de qua jam in transcursu actum est, B. Doctori ante oculos obversatam fuisse ; sed quoniam alii « inepta ac prolixa contentione, » alii vero quorumdam terminorum pravis interpretationibus, illam fere sustulissent, eamdem ad magistri normam retractavit, et vocibus probatissimis signandam sategit. Namque Philosophus, postquam οὐσίαν proprie dictam quæ nec de

(1) Id., id., id., cap. IV.
(2) Id., id., 3ª Pars, cap. IX.
(3) Id., id., id., id.
(4) De Trinitate, lib. 7, cap. V.
(5) Summa Theolog., Pars Iª, Quæst. 3, art. 5 et 6.

subjecto diceretur, nec in aliquo subjecto inesset, ut Petrus, Paulus, pronuntiasset, solum individuum Substantiam esse proprie dictam innuere videbatur (1). Inde factum est ut hæc vocabula οὐσία et ὑπόστασις, eumdem sensum primo habuerint, ambobus scilicet rem subsistentem, substantiamve quamlibet indiscriminatim efferentibus (2). « Tota secularium « litterarum schola, ait Hieronymus, nihil aliud hypostasim « nisi *usiam* novit. » Eadem refert Theodoretus : « Secun- « dum extraneam sapientiam οὐσία et ὑπόστασις non discrepant; « *usia* enim id quod est significat, et hypostasis quod subsis- « tit (3). » Atque etiam apud Christianos prioribus seculis mos invaluit, hanc pro illa promiscue usurpandi, ita ut quemlibet existendi modum (ut sic loquar) alterutrius usu declararent. Ista verborum confusio inter auctores grave dissidium movit, quod tamen compescuit B. Athanasius in Concilio alexandrino (Ann. 362) postquam de terminorum comprehensione, non autem de rerum sensu eos contendere agnovisset.

Sed verisimile duco homines malevolos tunc temporis exstitisse qui Aristotelis disciplinæ obtentu christianæ fidei insidias

(1) P. Lequien, not. 1 in cap. xxx, Font. Scientiæ (Iª Pars), p. 36.

(2) Id, not. 4, id., id., id., id., passim.

Defendit S. Thomas personæ definitionem a Boetio excogitatam. « Persona est rationalis naturæ individua substantia. » Inter alias hanc præcipuam causam attulit, « quod substantia accipitur com- « muniter prout dividitur per primam et secundam, et per hoc « quod additur individua trahitur ad standum pro substantia pri- « ma. » Quæstio xxix, art. 1, responsio ad secundum. — Et rursus in alio loco sic de hypostasi disputat : « Quia nomen substantiæ, « quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi, « æquivocatur apud nos, quandoque significat essentiam, quandoque « hypostasim ; ne possit esse erroris causa, maluerunt pro hypos- « tasi transferre subsistentiam quam substantiam. » Quæstio xxix, art. 2, respons. ad secundum.

(3) P. Lequien, n. 3 et 4 in cap. xxx, Font. Scientiæ, (Iª Pars).

facere moliti fuerint. Quibus verborum effusa significatio occasionem præbuit in catholicam doctrinam desæviendi. Nam Sabellium arbitror ac priores illos qui scriptis vel dictis errorem eumdem prosecuti sunt, οὐσίαν μίαν, sive μονούσιον Θεὸν plane aristotelico sensu defendisse, ut Substantiam primam, sive individuam in Deo singularem et solitariam esse dicerent, tam secundum essentiam, quam secundum existendi subsistendive modum: quoniam talis a philosopho οὐσία prima ponebatur (1).

Appellandus est etiam Joannes Philoponus, qui dux fuit et princeps Tritheitarum; hic licet in contrariam sententiam aberraverit, et quasi tres deos portentose prædicaverit, prodigiosa commenta duxit ipse quoque ex eo quod vocibus Natura et Persona idem significari statuerat (2).

Exinde SS. Patres « Veritatis ac veræ philosophiæ discipuli pariter ac doctores (3) » in serendis verbis caute et prudenter se gessere; ea demum adhibuere, quæ quidem inventis rationibus recte et convenienter tractandis, non autem dialecticarum laqueis captionum contexendis inservirent. Hæc religiose transcripsit Damascenus, iisdem subjecta notione quam illi præfixerant. Quare id quod commune est, ac de multis dicitur, id est *specialissimam speciem*, substantiam et naturam ac formam appellavit, ut angelum, equum, canem, et similia; quod au-

(1) « Δογματίζει γὰρ οὗτος, καὶ οἱ ἀπὸ οὗτου Σαβελλιάνοι τὸν αὐτὸν « Πατέρα, τὸν αὐτὸν Υἱὸν, τὸν αὐτὸν εἶναι Ἅγιον Πνεῦμα ὡς εἶναι ἐν μιᾷ « ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, ἢ ὡς ἐν Ἀνθρώπῳ σῶμα, καὶ ψυχὴ, καὶ « πνεῦμα. » Epiph., Hæres. LXXII, l. 2, p. 513, edit. Petav. — « Trionyma solitarii Dei unio secundum Sabellium. » Sulpit. Sever., liv. II, ad concilium Seleucense, p. 256, edit. Lugd. — P. Petavius, de Trinitate, l. IV, cap. I, § IV.

(2) P. Lequien, not. 1 in Font. Scientiæ (IIa Pars, seu Hæreses), p. 103. — Id., præfat. ad Dialecticam.

(3) Fons Scientiæ, Ia Pars, cap. XLVII.

tem particulare est, individuum ac personam et hypostasim nuncupavit (1), ut Petrum, Paulum; eadem, tum in dialectica, tum in ulterioribus operis partibus, quotiescunque obvenit occasio, rursus explanat. Ad hoc attendas velim B. Doctorem de nominibus agere secus atque scriptores quippiam postea consueverint haud peritiores quidem inter peripateticos annumerandi, quibus, cum propemodum infinitis divisionibus argumentum resecarent, mille res incidebant, nomina quæque sibi proprium, quasi repetentes; quia vero aliæ vocabula desiderarent, nec haberent, aliæ autem quod habuissent, immutata sede, perdidissent, plurima aut inveniri, aut recentiore nota signari oportuit. Hos igitur auctores, non tam rerum quam novorum verborum inventores merito habeas; in quorum scriptionibus omnia exquisitis et articulosis partitionibus scatent, una ab altera verbis ignotis et abstrusis, locutionibusque incompositis et barbaris distincta.

Damascenus autem his vitiis non indulsit; etenim postquam materiam operis aggressus est, eam, qua deceret, considerate partitus est; neque vero subtili sollicitudine, nec plus quam satis erat, fecit; tum verba ejusdem generis, quasi quodam capso, ab alienis separata, congregavit, ea scilicet, quæ si non sensu pugnent, forma aut etiam comprehensione dissentire videantur. Illum in hoc operam contulisse diceres, ut disputationum ambages erroresque in arctato spatio redigeret, quo facilius citiusque veritatis assertores fraudulentorum sophistarum dissolverent argutiolas, atque etiam, quoad fieri posset, quæstionum nodos expedirent.

Forsan vix intelliget quispiam quomodo tot vocabula nempe Substantia, Species, Natura, Forma, eumdem intellectum habeant; verum Damascenus ipse, cujusque notitiam accurate definiendo, qua cognatione hæc inter se conveniunt et con-

(1) Fons Scientiæ, Iª Pars, cap. xxx.

gruunt, lucide aperuit, Nam, cum de eo quod multis commune sit, imo de *specialissima specie* (1) agat, vocem Substantia idem sonare ac Species, ex eo patet quod priore non ea pars entis intelligenda sit, quæ in conspectu Accidentis est, sed ipsa essentia individuis ejusdem speciei communis (2).

Deinde Damascenus asserit Substantiam et Naturam idem significare, quod rursus de multis dicitur : « Enimvero οὐσία « ab eo quod sit, dicitur ; et Natura ab eo quod aptum natum « sit. Esse porro et natum esse idem sunt (3). » Et in alio loco prolixius : « Natura est principium motus et quietis cujusque « rei... Quocirca principium et causa hujusce motus et quietis, « per quam ita res quælibet substantialiter nata est, sive compa- « rata est a natura ac non ex accidente, ut moveatur ac quiescat, « natura nuncupatur : ab eo scilicet quod ita nata sit atque exis- « tat. Hæc porro nihil aliud est quam essentia : ab essentia « namque ejusmodi vim habet, hoc est, motum et quietem ;

(1) Petavius animadvertit S. Damascenum in eodem dialecticæ libro contraria scripsisse. Nam in capite quinto, ubi de quinque vocibus disserit, « Sancti, inquit, Patres speciem *et genus* vo- « cant naturam et formam, et usiam. » At in capite undecimo : « Ista, inquit, interjecta summum inter genus, velut substan- « tiam, et species infimas, ut hominem, et bovem, genera sunt, « et species subalternæ. Hæc autem dicuntur substantivæ et natu- « rales differentiæ, et qualitates quæ superiora dividunt, et infe- « riora constituunt, ac species infimas specificant, constituentes « ipsas et naturam a natura dirimentes : natura porro in infima « specie collocatur. » Hic igitur solam extremam speciem ait esse naturam ; illic etiam genus ascribit. — Sed tamen fatetur doctissimus interpres utrumque dici posse... P. Petav., l. IV, de Trinit., cap. VII, § X. — Cæterum Damascenus in aliis locis ad speciem specialissimam mihi attendere videtur ut infra hic patet.

(2) Fons Scientiæ, Iª Pars, cap. XXX, cap. XLI, cap. XLVII. — De duabus voluntatibus, cap. III, § IV.

(3) Id., id., Iª Pars, cap. XXX.

« ipsaque ejus motus ac quietis causa est ; porro natura (φύσις)
« dicitur (παρὰ τὸ πεφυκέναι) a natum esse (1). »

Forma a nostro definitur : « Essentia a differentiis essentia-
« libus velut informata ac specificata ; quæ quidem significat
« *speciem specialissimam* : Ex. causa ; substantia quæ a cor-
« pore animato ac sentiente formata ac specificata , animal
« absolvit ; rursumque rationali ac mortali assumpto , hominis
« speciem efficit ; ac cum sit *species specialissima* , dicitur
« forma , velut nempe species formata(2). »

(1) Fons Scientiæ, Iª Pars , cap. XL.

(2) Id., id., cap. XLI.

Non ita sensit , ni fallor, S. Thomas ; quin et iis quæ a B. Damasceno hic de forma traduntur respondere mihi videtur (quæ mera tantum conjectura sit)... « Conclusio : cum illud tantum « sit homo quod operatur omnes hominis operationes, anima « vero sola sine corpore non operetur sensitivas, manifestum est « quod homo non est anima tantum , sed aliquid compositum ex « anima et corpore. — Respondeo dicendum (videtur quod anima « sit homo. Dicitur enim , Corinth. II, cap. IV , § 16 : *Licet is* « *qui foris est , noster homo corrumpatur ; tamen is qui intus est* , « *renovatur de die in diem*...) quod animam esse hominem dupli- « citer potest intelligi: Uno modo , quod homo sit anima , sed hic « homo non sit anima, sed compositum ex anima et corpore , « puta Socrates. Quod ideo dico, quia quidam posuerunt solam « formam esse de ratione speciei ; materiam vero esse partem indi- « vidui , et non speciei. Quod quidem non potest esse verum. « Nam ad naturam speciei pertinet id quod significat definitio. Defi- « nitio autem in rebus naturalibus non significat formam tantum , « sed formam et materiam. Unde materia est pars speciei in rebus « naturalibus , non quidem materia signata , quæ est principium « individuationis , sed materia communis. Sicut enim de ratione « hujus hominis est, quod sit ex hac anima, et his carnibus et « his ossibus ; ita de ratione hominis est, quod sit ex anima et « carnibus et ossibus ; oportet enim de substantia speciei esse « quidquid est communiter de substantia omnium individuorum

Contendit P. Lequien docuisse Patres formam idem valere ac substantiam formatam, tum propter illud dictum Apostoli : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est... « exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, » tum ad cavillos hæreticorum declinandos, qui, si forma pro nuda specie assumenda fuisset, inde Christi humanitatem in controversiam vocassent.

Monet quoque Damascenus vocem *species* eamdem ac *natura* habere significationem (1) ; quod facile e supradictis conjiciendum puto : nam cum natura in communi spectetur, utpote cuique speciei, insita hanc et illam idem sonare manifestum est. Verum aut valde fallor, aut B. Doctor, dum vocem *natura*, huic alteri *(species)* propius admoveret, ad eorum sententias divertisse mihi videtur, qui jam tum, de universalibus vocibus inquirentes, utrum scilicet sint tantum flatus vocis, an veram quamdam essentiam repræsentent, scriptis investigati sunt. Namque SS. Patres hanc controversiam, tam pertinaci postea jurgio conflatam, cujus rumor tot tantisque disceptationibus

« sub specie contentorum. Alio vero modo potest intelligi sic quod « etiam hæc anima sit hic homo ; et hoc quidem sustineri posset, « si poneretur quod animæ sensitivæ operatio esset ejus propria « sine corpore : quia omnes operationes quæ homini attribuuntur « convenirent soli animæ... Ostensum est autem (art. præc.) quod « sentire non est operatio animæ tantum. Cum igitur sentire « sit quædam operatio hominis, licet non propria, manifestum « est quod homo non est anima tantum, sed aliquid compositum « ex anima et corpore. Plato vero ponens sentire esse proprium « animæ, ponere potuit quod homo esset anima utens corpore. »

Hæc tamen addit cl. Doctor : «... Secundum philosophum illud « potissimum videtur esse unum quodque, quod est principale in « ipso ; sicut quod facit rector civitatis, dicitur civitas facere. Et « hoc modo aliquando quod est principale in homine dicitur ho- « mo...» Quæstio, LXXV, art. IV.

(1) Fons Scientiæ, Iª Pars, cap XXX.

percrebuit, prætentaverant, et in ejus difficultate enodanda operam posuerant(1). Alii quidem naturam quamvis intellectu solo percipi ac unam fieri docuere: « Apud nos, ait Theologus, « una est humanitas; sed ibi naturæ communitas cogitatione « solum habet unitatem (2). » Ex his patet B. Gregorium Naziancenum existimasse illam naturam communem, per precisionem ob individuorum convenientiam concipi, et a parte intellectus, ut aiunt, tantum existere. Alii vero absolutiorem opinionem tenuerunt: sic enim sensa mentis declaravit B. Grego-

(1) « Bon nombre de Pères de l'Église grecque, parmi lesquels « se distingue St Grégoire de Nysse, dont nous parlerons plus « tard, ont, pendant dix siècles consécutifs, touché le problème « des Universaux, en le supposant généralement résolu dans un « sens anti-nominaliste; mais ils ne le discutent guère, et de plusieurs d'entre eux nous ne saurions assurer, s'il faut comprendre « dans le sens des Conceptualistes ou des Réalistes l'Universel dont « ils reconnaissent l'existence. »

« Pour bien comprendre cette question, il faut noter que dans « les individus formant ensemble une espèce quelconque, on re- « marque des éléments, caractères ou attributs... (nous prenons « ici ces trois mots comme synonymes et dans le sens le plus vaste) « distinctifs par lesquels ils diffèrent entre eux, et un élément com- « mun à tous et caractéristique de l'espèce. Cet élément est ce « qu'on appelle dans les écoles l'Universel, nom qui est donné « aussi par extension à l'espèce même. Or, le problème des Uni- « versaux a pour objet de rechercher si cet Universel considéré en « soi est quelque chose de chimérique;... ou une simple ressem- « blance commune, ou s'il est quelque chose de réel qui indépen- « damment de notre entendement subsiste à *parte rei*, un et le « même dans les individus. » G. C. Ubaghs, *Problème Ontologique des Universaux*, *Introduction*, passim. — Cet ouvrage m'a fourni de précieux renseignements pour la question qui m'occupe. J'ai également consulté avec fruit la belle introduction de M. V. Cousin aux *OEuvres inédites d'Abélard*, (Documents relatifs à l'histoire de France.)

(2) Oratio, 37, edit. græc.-lat., Parisiis, p. 601, G.

rius Nyssenus : « Neque enim Petrum et Paulum et Barnabam « tres substantias dicimus, sed unam... Est igitur Petrus et « Paulus et Barnabas, secundum id quod est homo, unus « homo ; et secundum hoc ipsum quod est homo, plures esse « nequeunt. Dicuntur autem multi homines abusive et non pro- « prie. Quod vero per abusionem dicitur nemo prudens ei præfe- « rat quod proprie dicitur (1). » — Et alibi : « Hypostaseon qui- « dem ratio per eas quæ in unoquoque considerantur proprieta- « tes dispertitionem admittit, et juxta compositionem in numero « consideratur. Natura vero una est, ipsa secum unita, peni- « tusque ac prorsus unitas individua est, quæ nec adjectione « augetur, neque substractione diminuitur ; sed quia ipsa est « unum ens et permanens, etiamsi in multitudine esse videatur, « sectionis expers, continua et integra atque perfecta est, nec « una cum singularibus qui ejus participes sunt dividitur (2). » — Ex eodem rursus alium locum adducamus : « Non de rebus « frivolis ac vulgaribus quæstio est : dicimus igitur primo, abu- « sum aliquem esse consuetudinis, ut eos qui natura divisi non « sunt per ipsum naturæ nomen pluraliter nominemus, ac dica- « mus *multi homines*, cui simile est si quis dicat : *multæ na-* « *turæ humanæ*... Ut multi quidem sint eamdem sortiti natu- « ram, unus vero in omnibus sit homo... Quoniam, ut dictum « est, non singularis, sed communis naturæ est homo. Homo « enim est vel Lucas, vel Stephanus ; non tamen, si homo « est, prorsus etiam Lucas vel Stephanus est. »

Hæc satis ostendunt sic Nyssenum, ut postea Guillaume de Champeaux, S. Anselmus et cæteri Realismi fautores, in ea quæstione versatum esse (3).

(1) De communibus notionibus, edit. græc. lat., Parisi., t. 2, p. 83, 85.

(2) Gregor. Nyss. Oper., ad Ablabium, t. 1, ed. græc. lat, p. 17.

(3) Id., id., id., id., p. 17.

«... Ac quemadmodum plebs, populus, exercitus, concio singu-

Nemo inficias iverit naturam et speciem in eamdem significationem, e priore sententia accipi posse ; sed multo magis, si menti posteriorum consulas ; quippe quorum sensu, species in humanis, non proprietatibus individuorum convenientibus et per precisionem assumptis constent, verum in ipsa natura cuique insita constituantur, quæ adeo individuis sit communis, ut illi consubstantiales fiant. Atqui Damascenum horum et illorum placita animadvertisse credibile est ; cæterum mihi in opem P. Petavius se contulit, vir undecunque doctissimus, et maxime in veterum Patrum scriptis exercitus, ad hanc fulciendam opinionem, quam si non certam, at verisimilem esse confido.

Postquam definivit quam interpretationem habeat sententia Philosophorum a Damasceno in capite XXX Dialecticæ explosa, hæc subjecit : « Verum Damascenus triplici illa neglecta « ratione, in ea conquiescit quam a SS. Patribus adhibitam esse « confirmat, ut species ultima promiscue dicatur οὐσία, et « φύσις et μορφή : Individuum autem, ὑπόστασις. Quod ex su- « periore ejusdem sententia conformandum est ita ut species « ista, naturaque communis non vaga, laxaque spectetur, « qua individua continet omnia, sed ut in uno aliquo inest, « in quo nuda proprietatibus iis, quibus individua constant, « et absoluta cogitatur (1). »

Sententia vero Damasceni, ad quam spectat Petavius, ea ipsa est, quam græcorum SS. Patrum haud pauci tenuerunt, cuique Damascenum verisimile est adhæsisse, ut postea ostendemus ; quippe in superiore pagina, prolatis quibusdam B.

« lariter omnia dicuntur, unumquodque autem horum in multitu- « dine esse intelligitur ; eodem modo secundum exactiorem et « inquisitiorem rationem homo quoque unus proprie dici potest, « etiamsi hi, qui in eadem natura demonstrantur, multitudo sint. » Id., p. 17, 18.

(1) P. Petavius, de Trinitate, lib. IV, cap. IX, § XV.

Doctoris effatis hæc subnixa reperiuntur : « Hic locus Damas-
« ceni insignis est ad illam quam dixi, Græcorum intelligen-
« dam opinionem, quæ et rationem continet, quæ hoc per-
« suasit ipsis naturam generale esse aliquid, non singulare (1). »

In Categoriarum descriptione Damascenus Aristotelem secutus est, quem materiam accuratissime tractasse apud omnes constat, ut eum imitari, non superare alii nitantur (2).

Hæ notationes quanti pretii, et quantæ sint utilitatis, ex eo conjicitur, quod ad illa verba spectant quæ cum plurimum difficultatis et obscuritatis habent, sive propter rei significatæ confusam et fluctuantem speciem, sive propter varium apud varios auctores usum, tum philosophicis quæstionibus frequenter incidunt : ideo necessarium est pro lectoris opportunitate facienda ut circumscripte et dilucide explanentur.

Præterea Damascenicæ interpretationes in usu et significatione verborum cuique græcorum Patrum opera evolventi magnæ levationi erunt ; hi, cum de plurimis argumentis, et prout se daret occasio, ob facilem quamdam et extemporalem facultatem tum cogitandi, tum stilo signandi quæ mentis intentione comprehendissent, egregie disputarent, nonnulla tamen verba quorum significatio neque prævie declarata sit, neque apud omnes eamdem vim obtinerent, adhibuerunt. Unde fit ut lector aliquando arduis difficultatibus hæreat, quid valeant illa paulo obscuriora verba, non videns. Sed, nedum in tantis discriminibus versetur, habet paratum et idoneum interpretem, qui præeat in spissis perplexarum locutionum tenebris quasi facem præferens ; atque inde, ni fallor, plurimum adjutos fuisse auctores video, quid SS. Patres cogitando sapuerint, quibus demum vocibus animi sensus ipsi expresserint, studiose scrutatos. Sic Petavius, inquirendo quam notionem his

(1) P. Petavius, de Trinitate, lib. IV, cap. IX, § XIII.

(2) Fons Scient., Iª Pars, cap. XXXI et sequent.

vocibus οὐσία, φύσις... subjecerint, in illa sententiarum et verborum silva, Damascenum quasi ducem sequitur, in quem attendere et oculos defigere mihi videtur. Cujus sæpe testimonium affert et dicta accommodat ad fidem faciendam.

Neque solum ea vocabula, quorum potestas tanti momenti sit et ponderis, B. Doctor definitione declaravit; sed cum vellet sua commenta lectoris mente expeditissima captu præstari, ad hanc curam rursus incubuit, ut multorum aliorum verborum ambages explicaret; quæ licet neque tanti æstimentur, neque tantum contentionis habuerint, ideoque minoris operæ ac pretii esset illustrari, tamen nemo non videt, illis quoque enodatis, inde magis perspicuam orationem effici. Quædam in fine dialecticæ congestæ inveniuntur, apta quæque suo loco, interpretatione definita; hic placet nonnulla producere, etiamsi usu trita esse videantur.

« Quæstio (πρόβλημα) est proposita intellectui inquisitio « tendens ad electionem vel fugam.

« Percontatio (πύσμα) est interrogatio diffusam ac prolixam « responsionem postulans. Hæc enim interrogatoria oratio « Ἐρωτηματικὸς λόγος a percontatoria differt, quod interroga- « toriam velox (hoc est paucis concepta) responsio sequitur; « percontatoriam autem, prolixa et multis verbis...

« Contemplari (θεωρεῖν), dicitur intelligere: Geometriæ, « Astronomiæ ac similibus operam dare.

« (Ἐπίνοιαν) vel subtilem considerationem vera doctrina dupli- « cem esse pronuntiat. Altera enim est velut ἐπέννοια quædam « ac ἐπενθύμησις, hoc est accuratior quædam ac secunda cogi- « tatio quæ totam et implicatam rerum speculationem atque « cognitionem declarat... Altera autem figmentum est cogita- « tionis animi (ἀνάπλασμα διανοίας), per conjunctionem sen- « suum et facultatis imaginantis, ex iis quæ sunt, eaque non « sunt componens et æstimans, ut Hippocentaurorum et Sire-

« narum fabulosa confictio... hæc autem simplex cogitatio di-
« citur, ψιλὴ ἐπίνοια. »

Sed melius forsan in alio loco vires animi distinxit : videlicet, a prima mentis agitatione exorsus, gradatim succedentes motus, usquedum in summa virtute ea venerit, diligenti ratione recensuit, et suo quemque indicio notavit ac patefecit :

« Sciendum est, quod prima mentis agitatio, cogitatio sim-
« plex (νόησις) dicitur. — Quæ autem rei alicui affixa est,
« ἔννοια, seu mentis notio, appellatur. — Hæc porro si diu-
« tius persiterit, atque in animo id quod cogitatum est, im-
« presserit, consideratio (ἐνθύμησις) nuncupatur. — Conside-
« ratio in eadem re rursus hærens, ac sese probans et explo-
« rans, prudentia (φρόνησις) nominatur. — Hæc denique si
« latius progreditur, ratiocinationem facit, quæ internus
« sermo est, et definitur plenissimus animi motus, qui in ra-
« tionis facultate sine ulla vocis emissione gignitur (κίνημα
« ψυχῆς πληρέστατον ἐν τῷ διαλογιστικῷ γενόμενον, ἄντι τινος
« ἐκφωνήσεως) — Ex quo prolatitium aiunt prodire sermonem,
« qui lingua pronunciatur (ὁ προφορικὸς λόγος)(1). »

Eodem pacto varias appetendi facultates examinavit, et aptam singulis indidit appellationem.

Neque vero hanc curam exuit Damascenus, cum texendi ipsius operis studio captus, argumentorum delectu et structura, scribendique labore distractum iri videretur ; sed dum hæc persequitur, et mentis conatu vera ac falsa dijudicat, verba interdum ambigua vel obscura definiendo aperit. Namque illud apprime noverat, neque tam diligentem esse lectoris intentionem, ut obscuritatem locutionum apud se ipse discutiat, neque tam patiens et sagax ingenium, quominus voces abstrusas transiliat, et earum odio sententias ipsas percipere reformidet. Quare

(1) Fons Scientiæ, IIIª Pars, cap. XXII.

captum ejus adjuvandi, verborum perspicuitate adornanda, maxime studiosum sese præstitit ; quam virtutem ita scriptis affectavit ac consecutus est, ut illam eximiam laudem meritus sit :... hæc (argumenta in libro de Fide orthodoxa tractata) « porro Damascenus, ea quidem perspicuitate contexuit, ut « jam mulieres, si ita loqui fas sit, et homines litterarum « rudes, modo græci idiomatis prorsus exspertes non sint, « universa accurate percipiant(1). »

Id non mente capio, cur Judocus Clicthoveus (2) posterioribus operis *Fons scientiæ* capitibus tam longo commentario prægravandis impalluerit, quem merito prolixissimum vocat P. Lequien ; sed mos olim invaluerat, si quis opus eximium extulisset, hujus sententias interminatis interpretationibus declarandi. Quot enim quantique commentarii Aristotelis, Petri Lombardi, S. Thomæ elucubrationibus affioti sunt ! quanquam illorum scriptorum interpretes non totius laboris jacturam fecerint.

---

## CAPUT IV.

### DE NOTIONIBUS LOGICIS, ET DE VI RATIOCINANDI APUD DAMASCENUM.

Notiones logicas intelligo certa quædam demonstrationis principia, e rationis fonte exhausta, quibus innixus philosophus, quid sit verum, confirmat. Argumentorum sunt genera duo : aliud e S. Scripturæ Traditionisque auctoritate fluit ; alterum autem in rebus indubitatis quæ sub acie mentis cadunt, aut in quibus communi opinione consensum est, stabilitur ; quam ratio-

(1) Donatus Veronensis linguæ græcæ amatoribus compellatio, oper. Dam. præfixa. — « Damascenus, cum docet, fonticulis ipsis limpidior fluit, ait Allatius in Prolegomenis. » §. LXX.

(2) Apud editionem comparatam a Jacobo Billio, Parisiis, 1577.

nem simpliciter vocamus ; prius exsequi mitto , quippe non est hic locus. Quam vero doctrinam Damascenus acerrima mentis applicatione consecutus sit, quid ipse animi robore, rerum divinarum humanarumque arcana occultissima indagando, excogitaverit, quibus demum artificialibus probationibus christiana dogmata ornaverit, inquirere muneris nostri est. Non quod B. Doctor, fide evacuata, ratione duce utatur, et ei tantum se credere velit ; sed ejus fides quærit intellectum (1): nam mens humana, etiamsi revelationis testimonio firmissime adhærescat, et auctoritatis vestigiis attente insistat, quadam tamen agitatione movetur, et ea cupiditate trahitur, si possit quæ latent penitus introspicere, divinaque penetralia pandere ; nec tantum curiosa est in quæ Deus ad hominum disquisitiones summisit, ut naturæ indefessæ vires. humanæque sagacitatis stupenda virtus; verum etiam majora intellectu, nempe dogmata divinitus patefacta, ambit studiose, et diligenti investigatione scrutatur (2).

Illæ tamen considerationes, quibus ad arcana cœlestia contemplanda mens ascendit, plurimam habent utilitatem, cum inde argumenta apta fidei tutandæ, divinis quidem rationibus imbecilliora, nec tamen spernenda, eruere possis; quibus exer-

(1) S. Anselmus, Proslogium, sive fides quærens intellectum.

(2) Hic juvat præclarissima verba afferre in quæ incidi apud Richard de S. Victor : « Hoc in his supra modum mirabile, quia « quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil constantius « tenemus, quàm quod fide apprehendimus.. » De Trinitate, Pars Iª, lib. 1, cap. 11.

« Erit itaque intentionis nostræ in hoc opere ad ea, quæ credimus, in quantum Dominus dederit non modo probabiles, verum « etiam necessarias rationes adducere, et fidei nostræ documenta, « veritatis enodatione et explanatione condire. Credo namque sine « dubio, ad quorumlibet explanationem quæ necesse est esse, non « modo probabilia, imo etiam argumenta non deesse, quamvis illa « interim contingat nostram industriam latere. » Id., id., id., cap. IV.

citationibus SS. Patres et Ecclesiæ Doctores, defendendæ veritatis studio incensos, acriter se dedisse constat; neque hominem fugit, in eorum operibus haud peregrinum et hospitem, nedum hæc munera rationis repudiarint, imo Scripturarum auctoritati admiscere solitos esse probationes argumentis mere philosophicis stabilitas. In his vero excelluit Damascenus; pauci enim sunt qui tam frequenti usu, tam valida disciplina, tanto vigore contentionis, dialecticæ robur sive ad demonstrationem christianorum dogmatum, sive ad refellenda hæreticarum opinionum commenta, quasi in subsidium admoverint: non tantum logicæ disciplinam, sed etiam eximium exemplum quomodo ea utendum sit, tradidit (1). Sic eam partem, qua fidem orthodoxam tutandam et illustrandam suscepit, certis et crebris conclusio-

(1) « L'homme de lettres le plus illustre de l'Orient, à cette épo- « que, fut Saint Jean Damascène... Le sens profond et l'érudition « dont il fait preuve le rendent digne d'être placé au premier rang « parmi les théologiens et parmi les philosophes... Ce grand es- « prit, qui domine la barbarie orientale, et qui concentre en lui « presque toute la gloire littéraire du huitième siècle, altéra peut- « être la science divine en accordant au raisonnement humain et à « l'opinion des Pères, plus qu'aux Saintes Écritures... Cantu, « *Histoire Universelle*, tom. 8, p. 353. » Cette appréciation du génie de Saint J. Damascène, renferme un éloge et un reproche; l'éloge subsiste, et il est facile de justifier notre Saint Docteur du blâme qu'on lui inflige. On lit en effet au commencement de son grand ouvrage, ces remarquables paroles: « Animus noster... « opem magistri desiderat. Proinde magistrum illum adire nos « oportet, qui ab omni mendacio alienus est, *ipsam*, inquam, « *veritatem*, Christum, qui est ipsamet sapientia, veritasque « subsistens, in quo sunt omnes thesauri scientiæ absconditi, qui- « que Dei et Patris sapientia et virtus existit, ut vocem ejus divi- « narum Scripturarum ope audiendo, veram rerum omnium scien- « tiam addiscamus. » III[a] Pars (Orth. fides), cap. I, Cfr. III[a] Pars, lib. IV, cap. XI, De Cruce et de Fide. — On peut voir par là si S. J. Damascène accordait au raisonnement plus qu'aux Saintes Écritures.

nibus, e ratione fluentibus, auxit; sed fatendum est B. Doctorem, ut illi mos est, non e proprio ingenio omnia quæ composuit argumenta, extulisse; atque apud SS. Patres materiam plerumque imitatum esse ad ea conficienda: quanquam vero illius sit, sive, cum plurimorum auctorum ante oculos optimos sensus sibi constituisset, et aliud ex alio excerpisset, quo quidque loco conveniat aptarit, sive, quia turpe illud est contentum esse id consequi quod imiteris, alienis propria bona adjecerit; nam, postquam stilus ejus late pervagatus, omnia pene veterum patrum monumenta attigisset, et parata seges conquisitarum sententiarum suppeteret, illam brevibus argumentorum cancellis circumscripsit, ita ut probationes in hæc subtilia acumina solertissime angustatæ, inde majorem vim acquirere videantur.

Cæterum non nisi e selectis apertissimisque rerum judiciis, doctissimorumque virorum usu comprobatis, argumenta ducit; sic illud effatum, in quo niteretur ad supremi Numinis fidem faciendam, apposuit: « Omnia quæ sunt, aut creata « sunt, aut increata; si creata utique et mutabilia sunt. Quo« rum enim esse a mutatione incepit, ea quoque mutationi sub« sint, necesse est, sive intereant, sive per voluntatis actus « alia atque alia fiant. Sin autem increata, sequitur profecto « ut mutari omnino nequeant. Quorum enim esse contrarium, « horum etiam modus quo sunt, proprietatesve contrariæ « sunt (1). »

His positis fundamentis, contendit Damascenus « omnia « quæ sunt, mutabilia esse, nec ea tantum quæ sub sensum « nostrum cadunt, sed et angelos mutari, alios ex aliis fieri, « multiplici modo moveri ac transmutari: sic nimirum, ut in-

(1) Frequenter Damascenus ad hanc sententiam remigrat: Fons Scient., IIa Pars, lib. II, cap. III. — Dialog. Manich., § V, § XXI. — Contra Jacobitas, § XIV, § XXVI.

« telligibilia (angelos dicit), animas et dæmones ratione vo-
« luntatis sive progredientis in bono, sive ab eo rursus rece-
« dentis, seque vel intendentis, vel remittentis; reliqua vero
« secundum generationem et corruptionem, augmentum et
« decrementum, aut secundum qualitatem et secundum motum
« de loco in locum immutari. Cum ergo, inquit, ea muta-
« bilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata,
« haud dubium quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui crea-
« torem increatum esse necessum est. Nam si ipse quoque
« creatus est, a quodam profecto creatus erit; sicque donec
« ad aliquod increatum venerimus. Increatus igitur cum sit ille
« conditor, omnino nec mutabilis est. Hoc autem quid aliud
« nisi Deus fuerit(1)? »

Deinde ea subnexuit argumenta, a philosophis verbosius explicata, e quibus cunctam terram quis intuens, et incredibilem rerum varietatem speculatus, tamque omnia inter se connexa et ordine distincta, de divina ratione dubitare non possit.

*Universalia* modo leviter perstrinxi, dum agerem de eorum definitionibus; sed hanc copiam plurimas habere utilitates advertendum est, præsertim cum opportune et convenienter ducitur; nam cæteris argumentis (quæ scilicet e rerum adjunctis eruantur) optimarum probationum supellectilem attexere, ad veritatis confirmationem, operosum non erit, si quis ea loca philosophica bene cognita habuerit.

Olim varie et multiformiter de *Universalibus*, disputaverunt philosophi (2); verum omnia commenta quæ confinxerunt illuc

(1) Advertit P. Lequien, primum illud argumentum, quo Noster Deum existere confirmat firmissimum et explicatissimum esse, ac tres priores Doctoris Angelici demonstrationes continere. Not. I in Font. Scient., cap. III, IIIa Pars.

(2) M. Cousin fait remonter à Porphyre l'origine de cette question fameuse ; elle occupa ensuite les plus grands écrivains du

spectantia, si in pauca referemus, in tribus præcipuis opinionibus versabuntur : quidam enim « non nisi flatum « vocis putarunt esse universales substantias, et colorem non « aliud intelligebant quam corpus, nec sapientiam hominis « aliud quam animam.... Illud ignorantes, quomodo scilicet « plures homines in specie sint unus homo, non duxerunt ali- « quid esse hominem nisi individuum, seu personam humanam ; « omnis enim individuus homo persona est (1). »

Alii vero, et hi (2) quidem nec mentis egeni, nec doctrinarum philosophicarum rudes, adversi stabant, in diversam sententiam disputationem trahentes : « Ii quasdam essentiales uni- « versales fingunt, quas in singulis individuis totas essentialiter « esse credunt. Quorum..... hæc est positio : homo quædam « species est, res una essentialiter, cui adveniunt formæ et « efficiunt Socratem. Illam eamdem essentialiter eodem modo « informant formæ facientes Platonem et cætera individua ho- « minis. Nec aliquid est in Socrate, præter illas formas infor- « mantes illam materiam ad faciendum Socratem, quin illud « idem eodem tempore in Platone informatum sit formis Pla- « tonis (3). »

moyen-âge ; les philosophes modernes furent amenés inévitablement à la traiter aussi. *Introduction aux Œuv. d'Abélard*, *passim*.

(1) Sanctus Anselmus, De fide Trinitatis, cap. 2, apud V. Cousin, p. CIII et CIV. — Hæc spectant ad *Nominalistas*, quorum Roscelinus dux fuit et caput.

(2) St Anselme (*Introduction aux Œuv. d'Abél.*, *p.* CV.), Guillaume de Champeaux (*id.*, *p.* CXV.). — Voir aussi l'ouvrage de C. G. Ubaghs ; — cet écrivain compte encore parmi les *Réalistes ;* Vincent de Beauvais, contemporain et confrère de St Thomas, Duns Scott (1274-1308), et avant eux, le bienheureux Odon, né avant le milieu du XI[e] siècle, mort en 1113. *Problème ontol. des Univ.*, *passim.*

(3) Abelard., de generibus et de speciebus, apud V. Cousin, p. CXXIII. — Attendit Abelard ad Guillaume de Champeaux, sub quo magistro rhetoricam didicisse traditur. Il paraît cependant que ce

Aliqui demum has inter se discordantes sententias quodam modo temperare et componere conati, neque flatum vocis, neque omnino essentiales esse naturas communes existimarunt, sed materia et forma constare dixerunt; natura enim communis, ut aiunt, nihil aliud est quam collectio proprietatum cuique speciei insitarum; sed primum in individuis spectatur, ubi materiam obtinet, et universalis a *parte rei* nuncupatur; deinde proprietates illæ communes (seclusis cujusque individui propriis differentiis) per intellectum abstrahuntur, earumque convenientia percepta, opera mentis universales formæ effinguntur, quæ universalia a *parte intellectus* sunt vocata (1).

Hanc questionem, ut modo dixi, SS. Patres jam tractaverant; quid enim est ab illis summis ingeniis prætermissum in rebus philosophicis? Quorum exemplo eamdem quoque Damascenus attigit, ita vero ut prioris sententiæ nulla mentione facta, de

philosophe adoucit à la fin la rigueur de son système: il ne considérait plus dès lors les propriétés communes aux individus, comme constituant leur essence, mais leur identité. V. Cousin, p. cxviii. — Quoi qu'il en soit, l'Universel de Guillaume de Champeaux, différait essentiellement de celui de Spinosa. Ubaghs, p. 31.

(2) C'est le conceptualisme d'Abélard, de St Thomas (voir les ouvrages ci-dessus), et j'ajoute de Bossuet : « La nature ne nous « donne que des êtres particuliers, mais elle nous les donne sem- « blables. L'esprit venant là-dessus, et les trouvant tellement sem- « blables qu'il ne les distingue plus dans la raison en laquelle ils « sont semblables, ne se fait de tous qu'un seul objet... et n'en a « qu'une seule idée. C'est ce qui fait dire à l'école qu'il n'y a « point d'universel dans les choses mêmes... Et encore, que la « nature donne bien, indépendamment de l'esprit, quelque fonde- « ment à l'universel en tant qu'elle fournit des choses semblables « mais qu'elle ne donne pas l'universalité aux choses mêmes, puis- « qu'elle les fait toutes individuelles... Ceux qui pensent le con- « traire, et qui mettent l'universalité dans les choses mêmes, in- « dépendamment de l'esprit, tombent dans l'erreur.... » Bossuet, *Logique*, 1re partie, c. xxxi.

posterioribus tantum sermonem habuerit. Primum quidem intermediam opinionem tenuisse, atque ad mentem Nazianceni sese conformasse videtur (1); alibi autem a Realistis, mutata sententia, eum stare diceres (2). Inquirere autem minime juvat

(1) « Hoc autem nosse interest, quod aliud sit quoad rem et « aliud ratione considerari... Re quippe ipsa Petrum a Paulo separatum consideramus, communitas autem et conjunctio et unitas... « unitas ratione et cogitatione perspicitur... » Fons Scient., III[a] Pars, l. 1, c. 8. Ait P. Lequien, dum locum istum interpretatur, nemini non perspicuum esse quin Damascenus procul a Greg. Nyssen. sententia procul discesserit. N. 3, p. 336.

(2) « Ex hoc decreto quod οὐσίαν commune, sive universale aliquid « esse statuit, quoddam velut corollarium nectitur: singularia omnia et individua quæ sub eadem specie comprehenduntur, non « solum ὁμοούσια, id est ejusdem substantiæ vel essentiæ dici, sed « una tantum οὐσία constare; et iccirco plurali numero commune de « iis formæ nomen dici proprie non debere, veluti tres homines, aut « equos tres. Ita Gregorius Nyssenus, Cyrillus, Joannes Damascenus..... Alterum opinionis illius consectarium est ὑπόστασιν omnem « ex duobus esse compositam, communi videlicet natura, et proprietate. Sed hæc in Deo compositio sola ratione et ἐπινοίᾳ constat, « non re..... » Petavius, De Trinitate, liber IV, cap. 7, p. 373, t. 2. Et in alio loco: « ... Duo sunt auctores qui superiora illa Nysseni « præsertim Gregorii paradoxa propius assecuti sint, ut sub eadem « hominis forma plures esse naturas individuorum, vel etiam hominis negarent: Joannes Damascenus in libro tertio de Fide Orthodoxa, cap. 8. « *Sciendum est, inquit, numerum esse differentium « rerum; impossibile est enim ea numerari, quæ in nihilo differunt. « Ac secundum id quod differunt numerantur, velut Petrus et Paulus, « secundum quod uniuntur non numerantur. Quippe ratione naturæ uniti, « duæ naturæ dici minime possunt; at hypostasi cum differant, duæ « hypostases dicuntur.....* » Et antea, in capite sexto, « *numero ait « non natura differre hypostases omnes.* » Tum in libro de duabus Christi « voluntatibus: *Alius est, inquit, Petrus et alius est Paulus: « alia hypostasis, et alia hypostasis; non autem alia natura Paulus et « alia Petrus; nam omnes homines unius sunt naturæ.* » De Trinitate,

horum disciplinæ, an illorum potissimum adscribendus sit, quem nodum sagacioribus criticis solvendum relinquo; sed operæ pretium est nosse quam potentissimum argumentum e Realistarum placitis, ad veritatem dogmatum Christianorum probandam, elicit.

« Quæ communia et universalia sunt, de particularibus sibi « subjectis prædicantur. Commune porro quoddam est essen- « tia, ut species; particulare, persona. Particulare, inquam, « non quod naturæ partem quamdam sibi vindicet, sed quia « numero particulare est, ut individuum. Personæ si quidem « *non natura, sed numero inter se distingui dicuntur*. Prædi- « catur itaque essentia de persona; quoniam in singulis spe- « ciei ejusdem personis perfecta est essentia. Quo fit ut per- « sonæ inter se non differant, ratione essentiæ, sed acciden- « tium; quæ quidem sunt propriæ et certæ notæ quibus sigil- « latur hypostasis, non natura. Hypostasis enim definitur, « essentia cum accidentibus. Quocirca hypostasis est illud quod « habet quod commune est, cum propria sua nota, et insuper « ut per se existat. Essentia quippe per se non existit, sed in « personis consideratur. Idcirco cum una ex personis patitur, tota « essentia ratione cujus hypostasis hæc patitur, passa quoque « dicitur in una suarum hypostasium: ut tamen non sequatur, « personas omnes, quæ ejusdem speciei sunt, una cum per- « sona patiente pati. Ad *hunc* itaque *modum* Divinitatis natu- « ram totam in quavis personarum suarum perfecte esse, totam « in Patre, totam in Filio, totam in Spiritu Sancto confite- « mur; ob idque et Pater perfectus Deus est, et Filius per- « fectus Deus, et Spiritus Sanctus perfectus Deus. *Consimili* « *etiam ratione* in Incarnatione unius ex Sanctæ Trinitatis Per- « sonis Dei Verbi, totam et integram Divinitatis naturam in una

lib IV, cap. 9, p. 387, t. 2. — Voir aussi l'ouvrage de M. Laforêt, de Louvain: *Défense des dogmes catholiques, t. I, de la Trinité.*

« suarum personarum cum tota natura humana unitam fuisse « dicimus, ac non partem cum parte(1). »

His non immorabor, utpote quæ potissimum ad theologiam pertineant: e quibus vero et multis aliis perspicuum est, quot fructus, et quanta utilitas ex illis commentis, quæ excogitantur philosophice, percipiantur. Eadem argumento mihi esse videntur, tum Damascenum, tum scriptores ecclesiasticos, quorum doctrinæ ipse testis idoneus est, philosophiæ studium acriter dedisse, ut rerum divinarum humanarumque mirabilem quamdam cognationem instituerent, et per hanc propinquitatis similitudinem, ab exploratis et manifestis notionibus assurgentes ad sublimiora fidei dogmata, horum, si non perfectam, at imaginem adumbratam, oculis subjicerent.

Nec tantum ea consideranda sunt quæ B. Doctor ad christianorum dogmata explicanda disputavit; sed contra hæreticos quædam ab eo sunt scripta, ubi sibi confidens propriisque viribus decertans, acrius et subtilius solito concludere erroremque impugnare videtur; hæc enim robusta syllogismorum stipatione sunt referta. Nec unius potentioris argumenti Damascenus virtute nitebatur; verum plurimis et validissimis congregatis, certamina controversiarum firmus inibat, quasi grandine ex adverso quatiturus. Sic Manichæorum querelas malorum hominibus ingruentium congeriem bonitati divinæ contumeliose objectantium gravissimis rationibus excludebat: « Malum undi« que perfectum in rebus non cernitur. Nam nec Deus qui vere est, aliisque rebus præstat ut sint, malum est; nec quidquam « eorum quæ ab ipso condita sunt, qua conditum est ratione, « malum est. Quinimo tum rerum universalium causa, tum « quæ eo auctore existunt, bona sunt. Porro res omnes ab eo « ex nihilo sunt editæ: atque *omnia bona*, fuerunt et qui« dem *bona valde* ¶. Malum autem nihil aliud est nisi amissio

(1) Fons Scient., IIIª Pars, lib. III, cap. VI. — ¶ Gen. I, ỳ. 3.

« voluntaria ac privatio eorum quæ naturæ rationabili a Deo
« concessa sunt: uti paupertas est amissio opum(1). »

« Nosse etenim operæ pretium est, duplici modo, tam bo-
« num quam malum sumi. Bonum enim proprie dicitur id quod
« donatum est a Deo, qui natura sua bonus. Quemadmodum
« lumen omne a sole vel igne oritur; ita bonum omne ab infi-
« nito illo incomprehensibilique pelago habet esse, ac quidquid
« a Deo proficiscitur, bonum proprie et vere est. Rursus
« bonum non proprie, sed ex abusione, et nostra consuetu-
« dine, id dicitur quod nostro sensui et appetitui suave vide-
« tur.... Similiter malum proprie illud est et dicitur, quod ad-
« versus Creatoris legem perpetratur ; improprie autem ac nos-
« tro more, quod sensui grave est ac molestum : quod quidem
« licet in præsenti dolorem afferat, attamen postea salutis ac
« sempiternæ lætitiæ fructum præbet (2). »

« Deus omnia valde bona fecit, secundum cujusque natu-
« ram, ut ipsius voluntas disposuit. Non enim legi subjectus
« est; verum id demum bonum est quod ipse vult, non quod
« nos judicamus; non enim nos Dei judices sumus..... Quo-
« circa Deus quod lubuerit, faciendi potestatem habet, atque
« illud bonum est: ac potestatem item habet, eorum quæ facit,
« quas vult causas nobis declarandi, et quas vult occultandi.
« Unumquodque porro bonorum creatorum, quæ rationem ac-
« ceperunt, aut libere in bono perstitit, ut conditum fuit; aut
« libere immutatum fuit, atque a bono recessit, illudque per-
« didit. Bonum est præclarus ordo, unicuique id quod natura
« ipsius fert, conservans: atque item quoque virtus est. Malum
« contra est ordinis dissipatio, sive perturbatio. Omnia quæ
« sunt, qua ratione sunt, bona quoque sunt, atque ex bono:
« quatenus autem bono carent, nec bona, nec entia sunt. Ete-

(1) Dialogus contra Manich., § XIV.
(2) Dialog. cont. Manich., § XV.

« nim quæ vita carent, quatenus vitam a bono non acceperunt,
« non viventia sunt, quia vitæ exspertia. Similiter quæ sensu et
« ratione carent, quatenus aliquid acceperunt, hactenus bona
« sunt(1). »

Sin autem disciplinam Damascenicam notiorem habere velis, evolvenda sunt præsertim ea opuscula, quibus alterna vice tum Jacobitas, tum Monophysitas, ac deinceps Nestorianos argumentorum aculeis Noster compingit.

Sic adversus Jacobitas contendit duas naturas, licet inter se jungantur et copulentur, et in eadem hypostasi subsistant, alia tamen et alia existere;

« Si dicitis ea quæ unita sunt, unum esse, audite tamen
« ea quæ unita sunt, non omnibus modis unum esse, sed qua-
« tenus unita sunt. Nam si quæ unita sunt, per omnia unum
« sunt, quia homo ex dissimilibus naturis compositus est,
« necessum erit dicere, quod anima et corpus per omnia unum
« sint, adeoque quod incorporeum est, illud corpus erit, et
« corpus incorporeum.... » (§ *XVI.*)

« Si quæ unita sunt, omni modo unum sunt: corpus vero
« ex contrariis qualitatibus compositum est, dicendum nobis
« erit colorem et frigus idem esse; imo Petrus et Joannes,
« quippe qui natura unita sunt, ex consequenti hypostasi etiam
« unus sunt et non duo. At non ita convenit cum his qui
« recte sapiunt et veritate: quin potius, quæ unita sunt, qua-
« tenus unita sunt, unum esse sentiunt: puta Petrum et
« Joannem, quia unum natura sunt, ejusdemque substantia,
« unum esse secundum naturam; animam vero et corpus,
« quatenus secundum hypostasim uniuntur, unum hypostasi
« esse... » (§ *XVII.*)

« Solent qui res philosophicas tractant, sermonem prius
« de quantitate instituere, quam de qualitate. Cujus causam

(1) Dialog. cont. Manich., § XLVII.

« hanc adjungunt, quod ubi qualitas fuerit, illic omnino quan-
« titas etiam consideretur; differentia si quidem differentium
« differentia est. — Quomodo igitur, cum qualitatum essentia-
« lium discrimen prædicetis, eorum quæ essentialiter diversa
« sunt numerum non fateamini. » (§ *XLII.*)

Ad hoc mente attendas, Damascenum ita hujusmodi argumentorum ordines densare, ut ea octogesimum octavum expleant numerum. Quanquam, si ad normam logice ea instituit, non inde mere philosophicas conclusiones semper elicit.

Verum aliquos futuros suspicor, qui tot argumenta importunius quam prudentius esse aggerata, et genus hoc ratiocinandi, jam frigidam ac siccam scholasticorum methodum redolere existiment; quibus hujusce methodi vituperatoribus paucis satisfacere placet: nam philosophum decet plus roboris quam decoris, cum nudæ veritatis oculis subjiciendæ munus ejus sit; oratori contra operæ pretium erit, si argumenta uberius effuderit, et nitidiore colore exornaverit; ille quidem ante omnia scriptis vires faciat, quæ bonam doctrinam animis instituant, pariter ac versutorum improborumque impetum frangant; hic vero circumstantium voluntates magnificarum sententiarum ornatu verborumque copia sibi conciliet, ut dulci voluptate tractum auditorem, quo velit, deducat. Prioris modo perspicua sit oratio, et ipsius splendore veritatis pelluceat, satis est; sed posterior non propositum assequetur, nisi speciosis figurarum gemmis illuminata ejus placeat elocutio. Alius integra argumentorum compositione, ponderosisque rerum judiciis mentem convincere debet, alius autem oculis et auribus servire, affectus movere, quibus ad animum victrix penetrat oratio. Rationes tandem apud philosophum urgentur, congeruntur et inculcantur, et apud oratorem explicantur, distenduntur, amplificantur. Ergo Damascenus non immerito illam vim stricte et robuste dicendi, dum philosophatur, adhibuit.

Dialogos etiam absolvit B. Doctor, in quibus heterodoxi cujusdam et christiani controversia inducitur, ita tamen ut hujus causa superior videatur; id quidem genus disceptandi ad omnem quæstionem, inaffectata sermonis facilitate, in lucem veritatis proferendam aptissimum est. Persona enim, quam penes principatus est, ut Socrates in platonicis dialogis, cæterorum ineptias incitando, inde ansam arripit tum opiniones inconsiderate insitas ex animo perpurgandi, tum ad liquidum perducendi omnem sanam integramque doctrinam. Hæc profecto solvendis disputationibus expeditior via est, dummodo præsto sit quispiam, moribus et eruditione excultior, qui errantem quemlibet ad bonam frugem revocare, cespitantem regere et erigere lapsum jure possit. At illa ipsa dialogorum varietas non nihil interdum obscuritatis parit, ob familiaris colloquii mobilitates. Auctor enim sæpe deflectit e via, ludicri sermonis delectatione raptus. Quibus quidem deliciis, ad levandum eruditæ confabulationis fastidium idoneis, non vacat Damascenus; sed propositum intentissima cura rectoque processu persequitur; namque gravissimam inter homines doctos disputationem instituit; neque illam remittit antequam adversarios de omni statu dejecerit. In hoc vero imprimis valet, quod, cum persona, cui partes contrariæ mandantur, effata in medio protulerit, illam inopinatis quæstionibus eo discriminis perducat, ut inter se pugnantia loquatur, neque ipsa sibi constet.

Exemplum pono e dialogo contra Manichæos assumptum: illud argumento erit qua contentione B. Doctor actorem Manichæorum partes sustinentem in angustias urgeat, tum ejus bina principia refellendo, tum ipsi contra unum Deum asserendo:

Orthodoxus. — Unum dicis rerum principium, an duo?

Manichæus. — Duo: Unum bonum, alterum malum....

Orthod. — Quidquamne inter hæc duo principia commercii est, necne?

Manich. — Nihil prorsus ; sed alterum alteri contrarium est.

Orthod. — Est-ne unum in alio, aut cum alio ; numve loco discreta sunt ?

Manich. — Discreta primum erant, atque utrumque suis finibus se continebat.

Orthod. — Quonam igitur pacto inter se commista sunt?

Manich. — Bonus in loco suo, in omni bonitate et felicitate agebat. Materia autem, hoc est malum, cum sine vita, sine motu, spurca, horrendæ tenebræ, a sensu remota, multis retro seculis fuisset, tum postea secum ipsa cepit dissidere, ejusque fructus mutuo inter se pugnare........

Orthod. — Nunc, quæso, hæc una consideremus.

Manich. — Utique consideremus.

Orthod. — Ἀρχὴ, Principium, id est, quot modis usurpatur?

Manich. — Id tu ipse edisseras.

Orthod. — Ἄναρχον dicitur, quod principium non habuit ; vox autem ἀρχὴ (principium) æquivoca est. Multa quippe significat. Nam et de tempore principium dicitur : sic diei principium ; item de locis principium dicimus, ut viæ principium... Quin ἀρχὴ quoque, de dignitate et potentia... Ad hæc principium dicitur, id quod natura prius est, velut in numero. Etenim si duo sint, necessario unum erit : sin autem unum est, non item duo esse necessum est. Erunt quippe duo, unum et unum : unum autem, duo non est. Ita fit ut unum duorum principium dicatur. Principium de ordine quoque dicitur, ut prima dignitas... Denique principium de causa dicitur, idque trifariam. Aut enim causa naturalis est, ut principium filii est pater ; aut efficiens, ut rei conditæ principium est conditor ; aut exemplaris, ut imaginis principium est id a quo imago ducitur. Cum igitur tot modis principii nomen sumatur, id demum vere ἄναρχον, sive principii exspers, dicitur, quod nullum

principium agnoscit; quinam igitur duo principia esse ais quæ principio careant?

Manich. — Secundum omnes istos modos.

Orthod. —Sic utique sine ullo principio erunt. Verum mentitus es contra caput tuum; cumque a falso inceperis, infelicem quoque finem obtinebis.

Manich. — Qui tandem?

Orthod. — Quoniam cum duo dixeris, a numero incepisti. Binarius autem principium non est; Binarii si quidem illud principium est, nempe unitas. Quare cum de principio disseris, unum dicas oportet principium, quo perfectum principium sit. Unitas enim Binarii principium est. Si igitur duo sunt principia, ubinam principium illud erit, quod natura prius sit, hoc est unitas?

Manich. — Atqui tu quoque tres personas dicis(1)....

(1) Dialog. contra Manich., sub initio.

Christiani quoque cum Saraceno conflictum induxit Damascenus; postquam varias quæstiones hi excusserint, in contentionem veniunt de libera voluntate :

Sar. Liberi arbitrii es, et quæcunque vis potes facere ?

Christ. Plasmatus sum a Deo liber arbitrio.

Sar. Propter quid ?

Christ. Male facere et bene facere, quod est bonum et malum. Gratia hujus mala quidem faciens, punior a lege Dei ; bona autem operans, non timeo legem, sed et honoror, et misericordiam consequor... Sed forte dices mihi, ita dicens : Qualia sunt quæ dicis bona et mala ?

Sar. Ecce sol et luna et stellæ, bona sunt : fac unum ex his ?

Christ. Non gratia hujus dico tibi : quia secundum hominem operor bonum et malum, bona quidem glorificatione Dei, et oratione, et eleemosynis..., mala autem fornicatione et furto. Si autem tu dicis bona et mala ex præcepto Dei esse, invenietur Deus secundum te injustus, quod non est; quod enim Deus præceperit fornicatorem fornicari, et homicidam occidere, digni sunt

Homo non una tantum facultate commendatur; vi quidem ratiocinandi ad veri investigationem plurimum valet; sed alia quoque via eodem tendere licet: nimirum elatus contemplatione, postquam sublimia, quæ passim natura præbet, spectacula demiratus est, Deum attingit, ipsique suas perfectiones adscribit; nihil enim est in orbe nisi mirandum ac magnificum; hic nihil aspicias, quo non spiret summi Artificis sapientia; quin natura quasi liber grandior patet, in quo inscribuntur supremi Numinis perfectæ dotes; et sapiens, divina opera mirando, per id quod foris videt, profundam Dei rimatur cogitationem.

Mens igitur non tantum via deductionis, seu ab effectu ad causam ascendendo, Deum apprehendit, verum etiam contemplationis opera, a signo scilicet rem significatam, aut a verbo cogitata repetendo.

Priorem methodum potissime Aristoteles, atque hujus imitatione plerique scholastici adhibuere: hanc vero Plato secutus est, et aliqui optimæ notæ philosophi, Dionysius Areopagita, Hugues et Richard de St-Victor; quanquam pauci sunt, qui ita alia via processerint, quin ad alteram interdum deflecterent (1).

Damascenus Aristotelis quidem, ut plurimum, vestigia secu-

honore; voluntatem Dei fecerunt. Invenientur autem et legis positores mendaces, et libri mendaci inscriptione prænotati: quia præcipiunt nos fornicatorem et furem flagellare, et homicidam occidere: voluntatem enim Dei fecerunt... *Disceptatio Christ. et Sarac.*, §. VII.

(1) .... La plupart des grands écrivains du moyen-âge ont su les concilier (méthode mystique et méthode scolastique), et ils les ont tour à tour employées. St Thomas et St Bonaventure furent à la fois mystiques et scolastiques. Hugues de St-Victor lui-même, si porté au mysticisme par son caractère et son génie, nous a laissé plusieurs ouvrages scolastiques... — L'abbé Hugonin: *Essai sur la fondation de l'École de St-Victor de Paris*, Thèse présentée à la Faculté des Lettres de Paris, p. 120.

tus est ; attamen Platonis quamdam consuetudinem haud repudiavit; nec miraberis, si poeticam illum attigisse, neque ejus suavitatis exspertem fuisse, recordaberis. Vates enim (ut de horum indole pauca loquar), ignea mente quasi præditi, nunc speciem illam eximiæ pulchritudinis, quæ in divinis operibus insidet, contemplantur ; quam intuentes, imitari ac traducere carminum modis et numero conantur ; nunc nobiliore quodam ardore incitati, Numen ipsum adeunt, cum quo mutuas fere consuetudines usurpant, donec admiratione obstupefacti, quantum possunt, ei laudes dicant.

Damascenus igitur, relicta argumentorum semita, nonnunquam exsurgit, ut propius mentem in veritate intuenda defixam teneat. Naturam considerat, et in ea Divinæ Sapientiæ speciem quamdam apprehendit juxta illud Apostoli : « Invisibilia Dei a « creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciun- « tur. » (*Roman.* 1, 20.)

« Videmus siquidem, inquit, in creatis rebus imagines, « quæ subobscure nobis revelationes divinas indicant, ut cum « dicimus, Trinitatem supremam, per solem, lucem et ra- « dium ; aut per mentem, verbum et spiritum, quæ in nobis « sunt... significari (1). »

Ait quoque in Deo imagines esse et exempla rerum ab ipso producendarum : nempe consilium ipsius æternum, quod eodem semper sese habet modo. « Enimvero in Dei consilio omnia ab « ipso præfinita, atque indeficienter futura, priusquam fierent, « haud aliter expressa erant, ac si quis domum ædificare cu- « piens, mente prius imaginem figuramve ejus effingat (2). » — « Porro cogitando Deus creat ; cogitatioque illa, Verbo com- « plente et Spiritu consummente, consistit (3). »

(1) De Imaginibus, prima oratio, § XI.
(2) De Imag., prima oratio, § X.
(3) Fons Scient., IIIᵉ pars, lib. I, cap. II.

Pulcherrimas adhibet similitudines, quæ rebus incomprehensibilibus lucem quamdam inferant. Hancce imaginem Dei simplicitatis ingeniose adumbrat: « Vera doctrina Deum simpliciter esse tradit, atque unam simplicem operationem habere, « eamque bonam, et omnia in omnibus operantem; instar so- « larii radii qui omnia fovet, atque in singulis, prout quodque « naturali aptitudine præditum est, et ita comparatum, ut ip- « sum excipere possit, vim suam exerit; ab opifice videlicet « Deo vim hujusmodi consecutus (1). »

Multa quidem, ut jam notatum est, e SS. Patrum monumentis exprompsit. Sic, juxta S. Gregorii Nicen. mentem, egregie hominem definit: «... Hoc pacto (2) itaque Deus intelli- « gentem substantiam, puta angelos creavit,... qui intelligen- « tis procul dubio atque incorporeæ sunt naturæ (incorporeæ, « inquam, si cum materiæ crassitie comparentur; nam alioqui « solus Deus revera materiæ et corporis exspers est). Hoc item « pacto naturam sensibilem condidit, nempe cœlum et terram, « et quæ medium locum obtinet; atque illam ¶ quidem, fami- « liarem sibi (familiaris quippe et affinis Deo rationalis est, in- « tellectualisque natura), alteram autem longissimo intervallo « distantem, ut quæ sub sensum cadat. Verum quo majoris, « ut divinarum rerum interpres Gregorius ait, sapientiæ, « munificentiæque circa rerum naturas specimen ederetur, ex « utraque quoddam concretum, quod visibilis atque invisibilis « naturæ tanquam vinculum aliquod esset, conflari dece- « bat (3)... »

(1) Fons Scient., III$^a$ pars, lib. I, cap. X.

(2) In capite præcedenti, ubi de paradiso terrestri agebat, Damascenus jam tum naturam sensibilem ac spiritualem, tum cibum delectabilem seu mortalem, ac fructum vitæ subtiliter descripserat. Inde profecto intelliges cur, caput posterum exorsus, dicat: Hoc pacto itaque.....

(3) Fons Scient., III$^a$ pars, liber II, cap. XII. ¶ .... Καὶ τὴν μὲν

Hæc ergo cum ita se haberent, hominem ex visibili et invisibili natura suis Deus manibus ad imaginem et similitudinem suam condidit...

Deinde Damascenus quid his vocibus, *ad imaginem* et *ad similitudinem* intelligendum sit accurate declarat; quod dicitur hominem *ad imaginem Dei* conditum esse, hoc significatur vis mente percipiendi, arbitriique libertas; quod autem *ad similitudinem*, virtutis, quantum fieri potest, expressa similitudo notatur.

Advertendum est B. Doctorem hanc legem menti statuere, antequam sese attollat ad Deum, ut omnibus vitiis sit libera: si turpium consortium fugiat, malaque gaudia compescat, puritatem contra et temperantiam amplexus, « cogitatio est illustrata. » Sin autem impotentissimæ cupiditates illam perturbent et mordacibus sollicitudinibus distringant, « cogitatio est obtenebrata. » Mens igitur cum bene et temperanter se habet, tunc rerum causas quiete meditatur, et ad Sanctam Beatamque Triadem sublevatur(1).

---

## CAPUT V.

### DE METHODO SANCTI JOANNIS DAMASCENI.

Hucusque de vi ratiocinandi apud Damascenum, pro viribus, egi; verum antequam disquisitionis finem faciam, pauca disputare de B. Doctoris methodo juvat. Primum quid sit methodus ponamus ad considerandum : « On peut appeler géné-
« ralement méthode, dit la Logique de Port-Royal, l'art de bien

(νοητὴν) οἰκείαν· οἰκεία γὰρ Θεῷ λογικὴ φύσις καὶ νῷ μόνῳ ληπτή· τὴν δὲ (αἰσθητὴν) πάντη που πορρωτάτω κειμένην, ὡς ὑπὸ τὴν αἴσθησιν πίπτουσαν. Ἔδει δὲ καὶ ἐξ ἀμφοτέρων μίξιν γενέσθαι, σοφίας γνώρισμα μείζονος.....

(1) De virtutibus et de vitiis, p. 513.

« disposer une suite de plusieurs pensées, ou pour découvrir
« la vérité, quand nous l'ignorons, ou pour la prouver aux
« autres, quand nous la connaissons déjà (1). » Ergo logica methodus duplici munere gaudet, investigandi scilicet veritatem, aut eam docendi ; hanc vero posteriorem imprimis persecutus esse Damascenus mihi videtur : audiamus illum ipsum operis inscripti « Fons Scientiæ, » ab exordio hæc præloquentem : « Cognitione nihil excellentius est; ea quippe ratio-
« nalis animæ lumen est, quemadmodum econtra inscitia est
« caligo... Atqui cognitionem dico, veram illam eorum quæ
« sunt notitiam. Scientiæ siquidem versantur circa ea quæ
« sunt... Quoniam ergo non solo animo vivimus, sed animus
« noster, carne seu tegumento quodam coopertus, mentem ve-
« lut oculum quemdam nactus est, qui cernendo cognoscendoque
« rerum notitiam ac scientiam percipere possit, nec tamen a
« se, vel ex propriis, cognitionem et scientiam obtinet, sed
« opem Magistri desiderat, proinde Magistrum illum adire nos
« oportet, qui, ab omni mendacio alienus est, ipsam, inquam,
« veritatem, Christum, qui est ipsamet sapientia veritasque
« subsistens (2)... » Cæterum auctori nostro « propositum
« est de philosophia tractare, atque omnis generis scientiam
« complecti (3). »

Hæc lucidiora sunt quam ut enodare velim. Nostrum enim patet magni operis lineamenta informare, in quo accitæ sedem obtineant pene innumerabiles quæstiones ad scientiam pertinentes, atque etiam quidquid difficultatis et dubitationis interdum incidat. Illud vero imprimis notandum est B. Doctorem neque in viam incertam se dedisse, neque propositum improvisum sibi præstitisse ; ubi contra in curriculum prodiit, adversam

(1) *L'Art de penser, IVe partie, chap.* 2.

(2) Fons Scientiæ, Ia Pars, caput I.

(3) Id., id., caput II.

metam prospexit, quo certo et indefesso pede tenderet. Non in ea insistit methodo, qua mens a principiis ratione nitentibus profecta, ad Fidei usque placita ductu naturali et ineluctabili progressu deducatur, ita ut, cum semel illis prioribus propositionibus annuerit, summam consequentium probare teneatur. Sed B. Doctori ab exordio in promptu est veritas, nimirum Christus, substantialis sapientia ac veritas. Illius sermo neque segnes ad credendum, neque Fidei christianæ contumaces aggreditur; verum « Christo addictum hominem ab ignorantia « non tantum qua natura sua genus deformatur humanum, « sed ab ea etiam, quam male sani magistri, et Ethnicis dis- « cussionibus dediti, incautis fidelium mentibus ingerunt, libe- « rat et cognitione vera collustrat... (1) »

Cum Damascenus homini Christiano sive erudiendo, sive præmuniendo a perversarum doctrinarum peste operam et studium navet, non a proposito suo alienum fuit tum rationem (quam potuit) reddere de his quæ fide percipiuntur, tum si quædam subierint, quæ Divinæ Sapientiæ placuit silentio tegi, proindeque hominum disceptationem venire, ea diligenter reserare ac discutere.

Præterea B. Doctor divinam et humanam scientiam complexus, non potuit quin illam perdifficilem tantique momenti quæstionem, qua scilicet Fides et Ratio, sive Theologia et Philosophia inter se cohæreant, tentaret; — de quibus postea dicetur.

Liber de Fonte Scientiæ tribus partibus, ut jam notatum est, constat; quæ quidem recto ordine disponuntur, alia aliam jure excipiente. Præcedit Dialectica, in qua instrumenta comparavit auctor, tum ad veritatem confirmandam, tum ad impietatem propulsandam idonea. — « Mox infensarum Deo hære- « seum nænias contexuit, quo falsitate cognita veritati magis

(1) Leo Allatius, Prolegom., § XX.

« magisque adhæreamus. — Atque ita demum errori exitium « afferentem , ac mendacium propulsantem veritatem... ex« plicat (1). »

Ex his manifestum est qua ratione pars una ex alia nectatur, quove ordine procedant argumenta ad finem operis assequendum. De dialectica vero jam satis disputatum est. Asserit P. Lequien (2) negaturum neminem quin Damascenus hunc catalogum hæreseum, quæ secunda pars libri de Fonte Scientiæ nuncupatur, confecerit, nisi perierit tractatus ille quem ipse de hæresibus contexuerat. De quibus tamen novam epitomen non composuit B. Doctor cum scilicet integram synopsim B. Epiphanii, ut in libris ejus jacebat, transcripserit, adjecta posteriorum sectarum enarratione, quam e variis auctoribus concinnavit. Hanc igitur veterum errorum summam in duas partes distribui patet : in altera quidem antiquiores hæreses describi, quas Epiphanius recensuit, a pristinis temporibus exorsus ; in altera autem recentiores enarrari, post Epiphanium enatas, quarum fere omnium Damascenus æqualis, imo et acerrimus impugnator exstitit. Neque mireris si in his posterioribus quibusdam declarandis majorem B. Doctor dederit operam ; quæ videlicet (ut Messaliorum et Saracenorum sectæ) tunc temporis in Christiana gente serpentes, et maligno morsu simpliciorum corda venenantes, repetitis injuriis, relligionem hominumque societatem profligabant. Iis porro pellem detrahere, ut aiunt, necesse fuit, ut, erroris patefacta indole, cum certius illum ferirent veritatis assertores, tum facilius cæteri ab eodem levarentur.

Prioris vero classis hæreses, quæ jam fere omnes e memoria hominum exciderant, tam prolixe commemorare nullum opus fuit. Damascenus igitur satis habuit synopsim B. Epiphanii

(1) Epistol. Episcop. Majum. operi Fons Scient. præfix.

(2) Admonitio in librum de Hæres.

exscribere, ubi cujusque sectæ brevis expositio, cum sententiarum omnium apto judicio, perstringitur. In hac categoria primo incensum vocantur hæreses quæ a vetustissima ætate prodierunt, Barbarismum dico Scythismum, Hellenismum et Judaismum; deinde Gnosticorum varia et prope innumerabilia commenta referuntur.

Ad hæc attendat necesse est, qui relligionem a Christo conditam in mundum facili aditu mollique clivo propagatam esse, neminemque, præter eos qui vi tormentorum acerrimorum illius asseclas persecuti sunt, infensum observatum esse, existimat. Incredibile est enim quot hæreses enatæ sint ab initio, eidem adversantes et moram afferentes; ut non temere quis arbitretur priorum Gnosticorum instituta, neque diuturnitate extabüisse, neque SS. Patrum confutationibus labefactata interiisse, sed ab his vulneribus rediviva sectis subsequentibus mentem inspirasse.

Quæ his attexuntur hæreses eas collegit Damascenus e variis auctoribus (1), quorum libri interiere. Illa pars historicorum facultatibus dignam materiem suppeditat, in qua reperient priscarum disputationum vicissitudines, frivolas perversasque opiniones, olim inter se magna contentione commissas, nunc vero vetustate obsoletas; quarum tamen descriptione ratio temporum, et antiquitatis memoria illustrantur, tum lux veritatis magis splendet. Notabilis est sententia *Gnosimachorum*, qui omni christianæ relligionis cognitioni ac scientiæ ita adversabantur, ut supervacaneum eorum laborem esse dicerent qui ex Scripturis divinis cognitiones aliquas exquirunt, cum Deus præter bona opera a Christianis nihil aliud exigat. — *Heliotropitarum* qui iis in herbis, quæ solem ejusque radios sequuntur, inesse vim quamdam dicunt, qua ejusmodi conversiones in

(1) P. Lequien, Not. in Messaliorum doctrina, in parte extrema, p. 98.

illis efficiantur : quamobrem cultum eis adhiberi volunt. — *Thnetopsychitarum* , animam humanam similem animæ pecudum esse, eamque cum corpore perire pro certo dicentium...

Hanc seriem concludit superstitio Ismaelitarum cujus enarratio nulli alteri præterquam Damasceno tribuenda est(1). Postquam hæreseum compendiosam expositionem absolvit Damascenus, capita tum philosophica, tum theologica tractanda aggressus est : hæc tertia pars operis nuncupatur , seu Fides Orthodoxa. Omni igitur comparata supellectile, accingitur eruditissimus Doctor ad veritatis placita evolvenda. Opus autem exegit non nullius adminiculo ; opemque clarissimorum scriptorum imploravit; quare tot rerum commenta, tot quæstionum judicia, tantam optimorum sensuum copiam, non e proprio profudit ingenio; sed cursando huc et in illuc, in varias præstantissimorum auctorum elucubrationes, excellentiores sententias delibavit, quasi olentium florum lectis cacuminibus , unde exquisitissimæ sapientiæ mel confecit. Verum ex his nolim conjicias Damasceni nostri famam detrimentum capere , aut aliquid ex ea detrahi ; siquidem non mediocris auctoris est tot libros, tot volumina studiosis manibus versavisse et in tanta verborum rerumque silva , latentes divitias delegisse , quas eliceret. Quantum enim cæteri, mentis viribus ac proprio vigore in abditis rerum mysteriis indagandis conantur , tantum ille, ingenii laude haud impar, diligentiæ ac sedulitatis dedit saluberrimæ doctrinæ placitis quaquaversus sparsis colligandis. Neque existimes alienam segetem auctoris animum prægravasse, ita ut diffuse in volumine profundatur , ibique indigestum pondus, inutilisque moles jaceat; sed postquam materiam huc et illuc quæsitam retulit , tum diligenter eam pertractavit , propriamque sibi fecit; argumenta demum , idonea quodque et accurata sede , collocavit.

(1) Id., Admonitio in librum de Hæres. (Font. Scient., IIa Pars.)

Notandum est SS. Patribus haud displicuisse philosophari, neque ullius disciplinæ imperitos aut rudes sese præstitisse , de singulis autem locis philosophicis belle et scienter disputasse; sed ea mente ad hoc studium se contulere, ut Fidem Christianam adversus infestas sectarum incursiones munirent ; nec inanem operam sumpserunt , siquidem inde prodiit insignis scientia tum catholicæ fidei consona , tum etiam acerrima philosophici ingenii acie. Sed cum sententiæ SS. Patrum sparsim diffusæ et dissipatæ essent, diligenter eas congessit Damascenus, et pulchro ordine composuit.

Auspicatissimum operis dedit principium, a Deo scilicet, ejusque supremis dotibus exorsus ; quas attingere conatur, Dionysii Areopagitæ vestigiis insistendo. Primum asserit « Deum « non nos in omnigena prorsus ignorantia versari passum esse. « Nemo quippe mortalium est, cui non hoc ab eo naturaliter « insitum sit, ut Deum esse cognoscat (1). » Sed fieri nequit ut omnia quæ ad supremum Numen pertinent, cogitatione assequamur. « Quod Deus sit, liquido constat ; quid autem « secundum essentiam et naturam sit, nullo prorsus modo « comprehendi, vel etiam cognosci potest (2). »

Deum incorporeum esse perspicuum est, illudque, utpote evidens, assentiuntur omnes. « At ne hoc quidem essentiam ejus « declarat : quemadmodum nec, cum ingenitum, principiique « exspertem, ac mutationis et corruptionis exspertem, eum « dicimus, et cætera quæ de Deo, vel circa ipsum esse dicun- « tur. Hæc enim non quid sit, sed quid non sit indicant. Atqui « oportet eum, qui rei alicujus naturam exponere in animo ha- « bet, quid sit ea dicere, non quid non sit. De Deo autem « impossibile est, quidnam essentia sua ac natura sit enuntiare : « aptiusque est ex omnium remotione et negatione sermonem

(1) Fons Scient., IIIª pars, lib. I, cap. I.
(2) Id., id., id., cap. IV.

« de eo facere. Neque enim aliquid est eorum quæ sunt ; non « ut nullatenus sit, sed quia super omnia quæ sunt, atque « etiam supra ipsummet esse, ipse sit (1). »

« Infinitus igitur est Deus, et incomprehensibilis, atque hoc « unum est quod de eo percipi possit et comprehendi (2)... — « Unde, quatenus omnem animi comprehensionem superat, « *ipse ex se innominabilis est* (3). »

Quæ quidem superessentialis essentia nos fugit; sed Deus noluit, qualis ipse sit, omnino ignoraremus. Quare inenarrabili bonitate ipsius factum est, ut ex his quæ nobis familiaria sunt, nominari voluerit; atqui nomina rerum manifestatio sunt. Hæc notio, obscura licet, duplici via potest obtineri, aut negatione aut affirmatione: alia quidem omnem essentiam Deus superare declaratur : velut cum essentiæ exspers, sine tempore, sine principio, invisibilis dicitur ; quatenus autem omnium auctor est, atque omnis rationis et sapientiæ causam in se continet, Ens dicitur, et Ratio et Sapientia (4).

Animadvertendum est Damascenum, dum perfectiones divinas adumbrat, bonitati primas detulisse; imo Deum existimat ab ea imprimis ad agendum impelli ; namque : « Pro « nimia bonitate sua quædam esse voluit, quæ ipsius afficerentur beneficiis, ejusque bonitatis participes essent ; eam « ob causam ex nihilo producit conditque universa, tam invisibilia quam visibilia, atque etiam hominem ex aspectabili « et non aspectabili natura conflatum (5). » — Et rursus : « Solus Deus, natura bonus et sapiens ; qua igitur bonus, « providet ; neque enim bonus fuerit, qui non provideat (6). »

(1) Fons Scient., III[a] Pars, lib. 1, cap. IV.

(2) Id., id., id., id.

(3) Το θεῖον ἀκατάληπτον ὂν, πάντως καὶ ἀνώνυμον ἔστι. Id., cap. XII.

(4) Id., id., passim.

(5) Id., id., lib. 2, cap. II.

(6) Id., id., id., cap. XXIX.

Postquam hominem condidisset Deus, « omnis boni fons et auctor (1) » ipsi virtutem naturæ ejus consentaneam indidit, ita ut in illa perstare, aut in vitio hærere, penes eum esset.

Verum hominis fidem probari oportebat, « quia vir non pro- « batus, nec tentatus nullius pretii est (2) ; » — Deo præcipienti cum non paruisset, in infelicissimum casum deturbatus est.

Tunc autem Conditor « suæ erga hominem benevolentiæ pe- « lagus ostendit (3), » humanam scilicet naturam instaurando, viamque virtutis homines docendo, quæ ab interitu eos revocaret.

« Quare, cum Deus bonus sit, omnis profecto boni auctor « et largitor est, ut qui nec invidia, nec ullis passionibus « affectibusve laboret. Invidentia siquidem procul abest a Di- « vina natura, quippe quæ omnis perturbationis sit exspers, « solaque bona sit. Proinde, cum cuncta prospectu habeat, et « quod cuique utile sit administret, id quod nostra scire inte- « rerat, aperuit ; quodque vires nostras et captum excederet « tacuit. His itaque contenti simus, in his inhæreamus, nec « terminos antiquos, traditionemque divinam transgredia- « mur (4). »

Quamvis bonitas inter perfectiones divinas Damasceno enitere videatur, non alias tamen prætermisit, sed contra recensuit accurate, Deum scilicet increatum, immortalem, infinitum, æternum, justum, omnipotentem..., profitendo (5).

(1) Fons Scient., IIIª pars, lib. II, cap. XXX. — « Ut Dionysio « placet, primarium ipsius nomen est, *Bonus:* Neque enim de Deo « licet dicere ipsum prius esse, tum bonum esse. » Fons Scient., IIIª Pars, lib. I, c. IX.

(2) Id., id., lib. II, cap. XXX.

(3) Id., id., lib. III, cap. I.

(4) Id., id., lib. I, cap. I.

(5) Id., id., lib. I, cap. XIX.

Credo equidem, ex Damasceni sententia, hanc Dei informationem in animo insitam, quasi quamdam præmunitionem esse novo præcellentique rerum ordini instituendo. Quare B. Doctor, ut mihi videtur, nodi solutionem, quo Fides et Ratio devinciuntur a Supremi Numinis perfectionum, imprimisque ejus bonitatis notione repetivit: qua apprehensa, intelliges profecto cur Deus hominem condiderit, illumque exornaverit tum anima mente prædita, tum libero arbitrio, deinde cur eumdem probatum atque lapsum extulerit, quin et doctrina, quam decebat, instituerit, immensæ Bonitatis affectu impulsus (1).

Deinde Damascenus hominis et ejus actuum naturam penitus inspiciens, multa de sensu, de cogitatione, de sermone interno, disputavit, in quibus Sanctorum Patrum sententias observanter secutus est. — Penetralia tandem scientiæ Divinæ aperit, in quorum limine stare debemus.

## THESIS EPILOGUS.

Ad metam jamdiu optatam (rectane via an secus, incertum) pervenimus : nunc breviter, quæ fusius tractavimus, repetere juvat.

(1) Fons Scient., III[a] pars, lib. II, passim, et lib. III. — « *Verbum* « *crucis pereuntibus quidem stultitia est : iis autem qui salvi fiunt*, « *id est nobis, Dei virtus est.* » I. Corinth., c. I, ℣. 18. Nam « *Spiritualis quidem judicat omnia : animalis autem homo non per-* « *cipit ea quæ Dei sunt.* » I. Cor., cap. 2, ℣. 14, 15. Stultitia enim « illis est, qui ea suscipiunt, nec Dei bonitatem, et omnipotentiam « considerant; verum res divinas humanis naturalibusque rationi- « bus investigant. Etenim quæ Dei sunt, naturam et sermonem et « cogitationem superant... Qui vero fide velut manu ductus, Deum « bonum et omnipotentem et verum et sapientem et justum cogitat, « omnia plana et æquabilia, viamque rectam inveniet. » Fons Scient., III[a] pars, l. IV, cap. XI.

1° Damascenus ab adolescentia uberem doctrinarum copiam comparavit, quam penitus animo percepit; quare ex multiplici eruditione, laborisque diligentia censendus est; insuper acutum et exquisitum sensum habuit, miramque in rebus tum theologicis, tum philosophicis penetrandis perspicaciam.

2° Dialecticam ad exemplar disciplinæ aristotelicæ instituit, quæ ad cujuslibet scientiæ veritatem explorandam accommodaretur; præter quam quod nonnulla vocabula, in more olim posita et usu Sanctorum Patrum novavit, quorum significationem exacta et dilucida definitione aperuit.

3° Firmissimis ipse institit argumentis, eaque plurima pro fide christiana propugnanda congregavit; nec tantum id genus probationis, quo rei involutæ notitia ex apertiore deducitur, persecutus est, verum etiam tum in conscribendis dialogis, tum in veritatis pulcherrima specie, acri ingenii obtutu, contemplanda, multum fuit.

4° Opus eximii pretii effinxit et excussit, in quo philosophorum et Christianæ doctrinæ magistrorum sententias, ea sapientia ac disciplinæ methodo enarravit, et Fidem Rationemque ad suum ordinem ita revocavit, ut non modicum ab eo subsidium medii ævi auctores susceperint.

Vidi ac perlegi,

Monspelii, VI id. Decembr. ann. MDCCCLXII;

*Facultatis Litterarum in Academia Monspeliensi Decanus*,

A. GERMAIN.

Typis mandetur:

*Academiæ Monspeliensis Rector*,

Al. DONNÉ.

# ERRATA.

P. 10, not. 7, l. 2 : τὸν τοῦ Μαρσοὺν, *leg.* τὸν τοῦ Μανσοὺρ
*Id.*, *id.*, l. 4 : καἰλιαν, φ̃κειομενος, *leg.* καὶ λίαν φκειομένος
P. 13, l. 4 : ut ita loquor, *leg.* ut ita loquar
P. 16, l. 9 : Pythagoræ Simii, *leg.* Pythagoræ Samii
P. 18, l. 21 : excerpserat, sensus disserebat, *leg.* excerpserat sensus, disserebat.
P. 19, not. 1, Dom Ceillier, Bibliothèque ecclésiastique, *leg.* Dom Ceillier, Hist. gén. des aut. eccl.
P. 31, l. 1 : scholastica, *leg.* scholasticæ
*Id.*, l. 4 : sapientia nec non, de Relligione, *leg.* sapientia. necnon de Relligione
P. 32, l. 15 : quam et veterum, *leg.* quam ex veterum
P. 34, l. 2 : ejudem, *leg.* ejusdem
P. 36, l. 6 et 7 : Aristotelæ, *leg.* Aristotelicæ
P. 37, l. 19 : accepta, *leg.* accepti.
*Id.*, l. 23 : Fortassim, *leg.* Fortassis
P. 38, l. 25 : personna, *leg.* persona
P. 39, l. 10 : praticam, *leg.* practicam
P. 41, l. 3 : earum, *leg.* eorum
P. 43, l. 2 : allaturæ, *leg.* allaturas
P. 46, l. 12 : Πρόσοπον, *leg.* Πρόσωπον
*Id.*, l. 23 : eodem modo, *leg.* hoc modo
*Id.*, l. 25 : (φύσιαν), *leg.* (φύσιν)
P. 47, l. 19 : quod autem, *leg.* Quod autem
*Id.*, not. 2, l. 1 : quod externos philosophos, ait Damascenus, οὺσίαν..., *leg.* quod externos philosophos ait Damascenus οὺσιάν....
P. 48, l. 1 : hune, *leg.* hunc
P. 52, l. 10 et 11 : subdolos, *leg.* dolos
P. 53, not. 1 : *Id.*, *id.*..., *leg.* Fons scientiæ, $I_a$ Pars.
P. 59, l. 11, speciei, insita hanc, *leg.* speciei insita, hanc
P. 60, l. 6 : Naziancenum, *leg.* Nazianzenum

P. 64, l. 15 : congestæ, *leg.* congesta

P. 69, l. 6 : excerpisset, *leg.* excerpsisset

P. 72, not. 2 : *leg.* not. 1.

*Id.*, *id.*, l. 8 : dans les choses mêmes.... Et encore, *leg.* dans les choses mêmes.... et encore

P. 84, l. 11 : juxta Gregorii Nyssen., *leg.* juxta Gregorii Nazianz.

*Id.*, l. 15 : amplexus, *leg.* amplexa

P. 87, l. 19 : proindeque hominum disceptationem, *leg.* proindeque in hominum disceptationem

P. 89, l. 5 : incensum, *leg.* in censum

*Id.*, not. 1 : doctrina, *leg.* doctrinam

P. 90, l. 14 : et in illuc, *leg.* et illuc

P. 91, l. 22 : illudque, utpote evidens, assentiuntur omnes, *leg.* cui assentiuntur omnes.

# ERRATA.

Pag. 10, not. 7, l. 4 : καὶλιαν, ῷκειομενος, *leg.* καὶ λίαν ᾠκειωμένος,

Pag. 18, l. 21 : excerpserat, sensus disserebat, *leg.* excerpserat sensus, disserebat.

Pag. 22, l. 24 : Πηγη, *leg.* Πηγὴ.

Pag. 31, l. 1 : scholastica, *leg.* scholasticæ.

Pag. 40, l. 18 : « definitionem.... *leg.* definitionem...

Pag. 46, l. 11 : ουσιαν, *leg.* οὐσίαν.

Id. l. 22 : « Si fides B. Doctori adjicienda est, externi philoso-
« phi eodem modo (οὐσίας) et (φύσεως) differentiam
« statuerunt; (οὐσίαν) quidem..., *leg.* Si fides B. Doctori adjicienda est, externi philosophi hoc modo (οὐσίας) et (φυσεως) differentiam statuerunt : « (οὐσίαν) quidem...

Id. l. 25 : (φύσιαν), *leg.* (φύσιν)

Pag. 47, not. 2, l. 1 : quod externos philosophos, ait Damascenus, οὐσίαν..., *leg.* quod externos philosophos ait Damascenus οὐσίαν...

Pag. 48, not., l. 5 : spectata qua, *leg.* spectata quæ,

Pag. 53, not. 1 : id., id.,... *leg.* Fons Scientiæ, Iª Pars

Pag. 72, not. (2) *leg.* (1) — id., id., l. 8 : dans les choses mêmes... Et encore, *leg.* dans les choses mêmes..., et encore,

Pag. 87, l. 19 : proindeque hominum disceptatione, *leg.* proinde quæ hominum in disceptationem

Pag. 89, l. 3 : incensum, *leg.* in censum.

ncti Joannis
# 2142

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

2142.